26

23

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS
BARO A LOBKOWICZ

# SCRIPTA MORALIA
# ORATIO AD ARGENTINENSES
# MEMORIA ALEXANDRI DE IMOLA

EDIDIT
BOHUMIL RYBA

MCMXXXVII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

# BIBLIOTHECA
# SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

| | |
|---|---|
| **SAECULA XII—XIII.** | ***RM*** |
| **P. magister** quondam Bele regis Hungarie notarius, Gesta Hungarorum, ed. L. *Juhász*. 1932. — — — — — — — — — — — | 5.40 |
| **SAECULUM XIII.** | |
| **De orthographia** (incerti auctoris), ed. L. K. *Born*. (Apparebit.) | |
| **Garlandia,** Iohannes de, Integumenta fabularum Ovidii, ed. L. K. *Born*. (Excuduntur.) | |
| **SAECULA XIII—XIV.** | |
| **Dantes** Alagherius, Epistolae, edd. H. *Nachod*—P. *Stern*. (Apparebunt.) | |
| **SAECULA XIV—XV.** | |
| **Ravenna,** Iohannes Conversinus de, Epistolarum liber, ed. L. *Smith*. (Excuduntur.) | |
| **Salutatus,** Coluccius, De saeculo et religione, ed. B. L. *Ullman*. (Apparebit.) | |
| **SAECULUM XV.** | |
| **Barbarus,** Franciscus, Epistolae, ed. P. *Gothein*. (Apparebunt.) | |
| — Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis, ed. P. *Gothein*. (Apparebunt.) | |
| **Barius,** Nicolaus—**Kostolan,** Georgius Polycarpus de—**Hungarus,** Simon—**Zagabriensis,** Georgius Augustinus, Reliquiae, ed. L. *Juhász*. 1932. — — — — — — — — — — — — — | 1.50 |
| **Bonfinis,** Antonius de, Rerum Ungaricarum Decades, edd. I. *Fógel*—B. *Iványi*—L. *Juhász* (in IV tomis). | |
| Tomus I. — Decas I. Cum introductione et tribus imaginibus codicum phototypicis. 1936. — — — — — — — — | 14.— |
| Tomus II. — Decas II. 1936. — — — — — — — — | 13.— |
| Tomus III. — Decas III. 1936. — — — — — — — — | 13.— |
| Tomus IV. — Decas IV. et V libri decadis V. relicti et index nominum. (Excuduntur.) | |
| **Brandolinus,** Aurelius Lippus, Dialogi, ed. P. *Angyal*. (Apparebunt.) | |
| **Callimachus** Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia, ed. T. *Kardos*. 1932. — | 1.70 |
| **Corsinus,** Amerigus, Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem, ed. L. *Juhász*. 1934. — — — — — — | 2.— |
| **Cortesius,** Alexander, De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hungariae regis, ed. I. *Fógel*. 1934. — — — — — — — — | 2.— |
| **Facius,** Bartholomaeus, Invectivae in Laurentium Vallam, ed. R. *Valentini*. (Apparebunt.) | |
| **Ficinus,** Marsilius, Epistolae, ed. P. O. *Kristeller*. (Apparebunt.) | |
| **Galeottus** Martius, v. Martius Narniensis, Galeottus. | |
| **Hungarus,** Simon, v. Barius, Nicolaus. | |
| **Ianus** Pannonius, v. Pannonius, Ianus. | |
| **Kostolan,** Georgius Polycarpus de, v. Barius, Nicolaus. | |

***Vide paginas 3. et 4. involucri!***

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS
BARO A LOBKOWICZ

# SCRIPTA MORALIA
# ORATIO AD ARGENTINENSES
# MEMORIA ALEXANDRI DE IMOLA

EDIDIT

BOHUMIL RYBA

MCMXXXVII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Jq kot
114.944

MTA IRODALOMTUDOMÁNYI INTÉZET KÖNYVTÁRA BUDAPEST

EXCUDEBAT LEOPOLDUS BARTOS, SZEGED.

# INTRODUCTIO.

## *I. — De Bohuslai Hassensteinii vita et operibus.*

*A) Vita.* Bohuslaus Hassensteinius (Hasisteinius) baro a Lobkowicz a. 1460 vel 1461 in arce Hassenstein (Hasistein) in Bohemia occidentali e nobili familia ortus est. Avus eius Nicolaus (†1435), qui Montibus Cutnis (Kutná Hora) scriba urburarius fuit, a. 1409 curiam Lobkowicz (Lobkovice) ad Albim fluvium sitam emit et a. 1418 arcem Hassenstein acquisivit. Bohuslai pater Nicolaus (†1462) ab anno 1459 baro, Georgii de Podiebrad assectator, quattuor filios reliquit. Quorum natu maximus Ioannes (1450—1517) in oppido Cadana (Kadan) residens libris Bohemice scriptis (Praecepta ad filium, 1504; Peregrinatio ad loca sancta, 1505) inclaruit. Bohuslaus natu minimus nomen poetae Latini clarissimum est consecutus.

Bohuslaus annis 1475—82 Bononiae et Ferrariae cum litteris Graecis et Latinis imbuebatur, tum studiis canonicis operam dabat; 26. Nov. 1482 Ferrariae decretorum doctoris gradum adeptus est. In Italia, quamquam domi a Calixtinis educatus est, Romanorum fidem adamavit. In patriam reversus praepositus Wyssegradensis (Wissegrad, Vysehrad in Bohemia prope Pragam) factus est, sed ad ampliorem dignitatem ecclesiasticam promoveri cupiebat. A. 1487 et proximis Pragae in cancellaria Vladislai regis Bohemiae versabatur. A. 1490 Italiam fere totam peragravit et insulas Graecas, Asiam Minorem, Syriam, Aegyptum, Tunetem adiit. Graeciam ipsam conspicere ei non contigit, Etenim ex itinere spe episcopatus Olomucensis adipiscendi in patriam revocatus est. Quamquam autem capitulum, barones et rex eum commendabant- primum Innocentius VIII. pontifex cardinalem Ardicinum (1490), deinde Alexander VI. Ioannem Borgiam cardinalem Montis Regalis (1493), postremo Stanislaum Thursonem (1497) ei praetulerunt; etiam spes episcopatum Vratislaviensem assequendi (1500 et 1503) eum fefellit. Interim Bohuslaus plerumque in arce sua Hassenstein commorabatur et litteris incumbebat cum permultis viris doctis commercio litterarum coniunctus et in codicibus Graecis librisque Latinis coemendis nulli pretio parcens. A. 1500 in Bohemiae comitiis sodalis collegii baronum et equitum electus est, qui antiqua regni privilegia perlustrarent eorumque indicem conficerent. A. 1502 Bohuslaum academia potius virorum doctorum quam cancellaria allectum a. 1502 iterum, tunc Budae (in Hungaria), in numero aulicorum invenimus Vladislai, qui a. 1490 Hungariae quoque rex creatus est. Sed iam a. 1503 Bohuslaus a curia regia et rebus publicis in Bohemiam in bibliothecam suam recessit. In arce sua mense Novembri a. 1510 mortuus est.

*B) Opera.*

*a) Opera, quae supersunt:* Carmina. — Epistulae. — Scripta moralia: De miseria humana, De avaritia, De felicitate, De philosophorum nugis. — Oratio ad Argentinenses in genere demonstrativo pro Petro Schotto Argentinensi.

*b) Opera deperdita:* Annales Bohemiae. (Codex manu scriptus olim in bibliotheca Hassensteiniana servatus videtur periisse.) — Hodoeporicon. (Utrumque opus sibi Cadana missum iri Thomas Mitis iam a. 1570 frustra speravit.) — De re publica administranda. (Hoc opus, quod Bohuslaus in epistulae longissimae forma a. 1497 ad Petrum de Rosenberg regni Bohemiae supremum capitaneum misit, tantum e versione Bohemica s. XVI. ineunte confecta novimus; versionis huius textus apud J. Truhlár, Listár Bohuslava Hasisteinského z Lobkovic, Praha, 1893, pp. 78—103 excusus invenitur.)

De Bohuslai vita et operibus praeter encyclopaedias haec potissimum opera consulas: **Th. Mitis**, Illustris ac generosi d. d Bohuslai Hassensteynii a Lobkowitz etc. baronis Bohemici poetae summi oratorisque clarissimi farrago prima poematum in ordinem digestorum ac liberalitate ampliss. familiae a Lobkovitz etc. editorum per Thomam Mitem Nymburgenum a Limusa. His accessit ad amplissimos ordines regni Bohemiae brevis narratio de lucubrationibus et vita d. Bohuslai. Pragae, 1562. — **B. Balbin**, Bohemia docta, ed. R. Ungar. Pragae. II., 1778, p. 104 -- 114. — **Ign. Cornova**, Der grosse Boehme Bohuslaw von Lobkowicz und zu Hassenstein nach seinen eigenen Schriften geschildert. Prag, 1808. — **P. A. Budik**, Leben und Wirken der vorzüglichsten lateinischen Dichter des XV.–XVIII. Jahrhunderts. Wien 1828. — **K. Vinarický**, Pana Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic vek a spisy vybrané. Praha, 1836; ed. 2. ibidem 1875 (Bohemice.) — **J. Truhlár**, O spisech Bohuslava z Lobkovic (in ephemeride Casopis musea království Ceského, vol. LII.) Praha, 1878. (Bohemice.) — **Eug. Ábel**, Magyarországi humanisták és a Dunai Tudós Társaság. Budapest, 1880. (Hungarice.) — **J. Truhlár**, Listár Bohuslava Hasisteinského z Lobkovic. Praha, 1893. — **Idem**, Humanismus a humanisté v Cechách za krále Vladislava II. Praha, 1894 (Bohemice.) — **I. Fógel**, Hasisteini Lobkovic Bohuslav a magyarországi humanisták között (in opere Dolgozatok Békefi Remig egyetemi tanári működésének emlékére). Budapest, 1912. (Hungarice.) — **Idem**, Bohuslav Lobkovic v. Hasistein unter den Humanisten Ungarns (in ephemeride Ungarische Rundschau, vol. II.) München—Leipzig, 1913. — **G. Ellinger**, Geschichte der neulateinicshen Literatur Deutschlands im sechszehnten Jahrhundert. I. Berlin—Leipzig, 1929. — **B. Ryba**, Filosofická prosa Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic (in ephemeride Listy filologické, vol. LVIII.) Praha, 1931 (Bohemice.) — **Idem**, Spisy Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic I., Praha, 1933 (in praefatione pp. 7—26, Bohemice).

Libellum **De miseria humana** Bohuslaus a. 1495 composuit et epistula nuncupatoria praeditum Martino Pollich Mellerstat Lipsiensi tunc Friderici III. Saxoniae ducis physico dedicavit. Mellerstat pro libello dedicato epistula 30. Oct. 1495 data[1]) gratias rettulit.

Libellum **De avaritia**, quem Bohuslaus Francisci Petrarcae vestigia premens circa a. 1499 composuit, Ioanni Sturno de Smalcaldia familiari dedicatum esse ex operis initio patet.

Opusculum **De felicitate** et aliud anepigraphum, quod ex ipsius textu (sent. 21.) **De philosophorum nugis** inscribere licet, aut a Bohuslao imperfecta aut temporum iniquitate mutilata ad nos pervenerunt. Quando haec opuscula minora scripta sint, perspici non potest; opusculum De felicitate a libello De avaritia, fragmentum De philosophorum nugis a libello De miseria humana haud longe videntur distare.

**Oratio ad Argentinenses**, quam pro Petro Schotto (1458—90) sibi in Italia coniunctissimo amicitiae causa scripsit, re vera nunquam esse habita videtur. Bohuslaum eam non multo post, quam Schottus a. 1481 ineunte doctoratus gradum adeptus est, composuisse verisimile est.

Utilitati suae serviens Bohuslaus iam in Italia degens a. 1477 succinctam **Memoriam Alexandri de Imola** in ultimo folio libri typis impressi „Excellentissimi iuris utriusque interpretis D. Alexandri Imolensis Apostille" manu sua videtur exaravisse. Annotationes hae, quamquam in operibus publici iuris factis non numerandae sunt, nonnullius sunt momenti, cum Bohuslai ipsius scripturam exhibeant.

## *II. — De codicibus et editionibus Bohuslai operum, quae exceptis epistulis prosa oratione scripta sunt.*

### *a) Codices :*

*U* — Praha, Bibl. Nation. et Univ. I. D. 3. — Saec. XV. exeunte vel XVI. ineunte (post a. 1497 et ante a. 1524) Crumloviae (in Bohemia meridionali) scriptus est. — Continet praeter alia epistulam dedicatoriam libelli De miseria humana (foll. 84r—84v), libellum De miseria humana (foll. 85r—113r), fragmentum De philosophorum nugis (foll. 116r—118r).

*R* — Roudnice nad Labem (in Bohemia), Bibl. Lobkowicziana, VI. Ba. 1. — A. 1477. Annotationes de Memoria Alexandri de Imola Bohuslai, ut videtur, ipsius manu in ultimo folio libri typis expressi (v. supra) exaratae.

---

[1]) Mellerstati epistula postea in codicibus, velut *U* et alio a Thoma Miti adhibito (a nobis in delineatione $X_2$ nominato), ad libelli De miseria textum adiuncta describebatur; apud J. Truhlár, Listár Bohuslava Hasisteinského z Lobkovic, Praha, 1893, p. 63 typis excusa est.

*b) Editiones:*

*s* — 1498 — Petri Schotti Argentinensis patricii, iuris utriusque doctoris consultissimi, oratoris et poetae aelegantissimi Graecaeque linguae probe aeruditi lucubratiunculae ornatissimae. — Liber a Martino Schotto Argentorati VI. Non. Oct. 1498 impressus est. — Continet praeter alia Orationem ad Argentinenses (foll. CLXXXv—CLXXXVr). — Exemplar Bibliothecae Lobkowiczianae Rudnicensis (II. Gc. 100) contuli.

*p* — 1509 — Opuscula Bohuslai Boemi baronis de Hassenstayn, que hoc volumine continentur: Ad Wladislaum Pannonie et Boemie regem in funere Anne regine coniugis elegia consolatoria. Elegia ad XIIII sanctos, quos vulgo auxiliatores vocant, de peregrinatione sua gratias agens. Ad Ioannem Sturnum Francum de Smalcaldia De avaritia libellus. Summos Christianos principes contra Thurcas excitans adhortatorium carmen. — Sturni epistulae nuncupatoriae 26 Dec. 1508 datae. sunt. — Continet praeter alia libellum De avaritia (foll. B3v—C3r). — Exemplaribus Bibliothecae Musei Nation. Pragensis (49 B 16) et Bibliothecae Nation. Vindobonensis (40 S 59) usus sum.

*m* — 1563 — Viri incomparabilis ac d. d. Bohuslai Hassensteynii lucubrationes oratoriae... Pragae excudebat Thomas Mitis et Iohan. Caper anno domini 1563. — In fine (c4r) Errata. — Continet praeter alia libellum De miseria humana („e codice depravatissimo", foll. 9r—28v), De avaritia (ex editione *p*, foll. 29r—39v), Orationem ad Argentinenses (ex editione *s*, foll. 39v—47v), fragmentum De felicitate (foll. 48r—50r).

*n* — 1570 — Viri illustris et magnifici d. d. Bohuslai Hasistenii a Lobkowitz etc. Nova epistolarum appendix conquisita et edita per Thomam Mitem Nymburgenum... Pragae, MDLXX. — Inter epistulas invenitur fragmentum De philosophorum nugis (foll. D7v—E1v).

*h* — 1623 — D. Bohuslai Hassensteinii a Lobkovitz etc. opusculum De miseria humana e depravatissimo codice descriptum notisque qua philologicis qua historicis in gratiam literariae iuventutis illustratum opera Henningi Succovi Lunaeburgici. Halberstadii, anno aerae Christianae MDCXXIII. — In fine Erata. — Textus ab Henningio re vera ex editione *m* depromptus est.

*a* — 1667 — D. Bohuslai Hassensteinii a Lobkowiz De miseria vitae humanae liber M. Christoph. Graefius Sulza-Thuringus recensuit et notas historico-philologicas addidit. Altenburgi, anno 1667. — Textus neglecta editione *h* ex editione *m* repetitus est.

*t* — 1893 — Listár Bohuslava Hasisteinského z Lobkovic. Nove uspořádal, doplnil a poznámkami opatřil Josef Truhlář. Praha (in collectione Academiae Litterarum Bohemicae: Sbírka pramenuv..., ser. II., fasc. 1), 1893. — Truhlář Epistulam dedicatoriam libelli De miseria humana (pp. 62—63) ex editione *m* et libellum De philosophorum nugis (pp. 213—14) ex editione *n* recepit

1933 — Spisy Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic. Svazek I. Spisy prosaické Vydal a poznámkami opatřil Bohumil Ryba. Praha (in collectione Academiae Litterarum Bohemicae: Sbírka pramenu..., ser. II., fasc. 26), 1933. — In hac editione praefatione, apparatu et commentario praedita Bohuslai eadem opera, quae nunc iteratis curis eduntur, omnibus codicibus et editionibus adhibitis et collatis typis excusa sunt: De miseria humana (pp. 31—65), De avaritia (pp. 66—81), De felicitate (pp. 82—85), De philosophorum nugis (pp. 86—89), Oratio ad Argentinenses (pp. 90—98), Memoria Alexandri de Imola (pp. 99—100).

Quae rationes inter codices et editiones intercedant, ex hac delineatione perspicuum est:




Codices deperditi ($\alpha_1$—$\alpha_5$, $X_1$—$X_3$) circulis nigris notantur. Codices deperditi, quos inter archetypos et codices $U$, $X_1$, $X_2$, $X_3$ fuisse aut certum aut verisimile est, in delineatione e consilio neglecti sunt.

Dabam Pragae mense Martio a. 1937.

B. R.

# BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS

# SCRIPTA MORALIA

## I. — DE MISERIA HUMANA

### EPISTULA DEDICATORIA

Bohuslaus de Lobkowicz et Hassystein clarissimo viro Mar- 1
tino Melerstat ducali physico s. p. d.

Edidi proximis his diebus brevem libellum de miseria hu- 2
mana; hunc tibi dicandum esse putavi, qui et litterarum perquam
studiosus es et nobis imprimis amicus. Multis id indiciis tum antea 3
tum nuper perspexi, quando frater meus Ioannes apud principem
Fridericum erat. Retulit enim te honestissime de me loqui et mihi
ex animo affici, quod iucundius, quam dici potest, mihi fuit, tibi-
que immortales ago habeoque gratias. Magnum enim incremen-
tum felicitati meae ex tanti viri amicitia accessisse arbitror. Potu- 4
issem quidem latius in hoc opere vagari, sed, quoniam ineptien-
dum erat, paucis id facere volui neque etiam fas esse existimavi te
ducalis consilii participem huiusmodi nugis a cura rei publicae
abducere. Consules itaque boni et munus hoc nostrum non sui 5
qualitate, sed mittentis affectu metieris. Vale!

### DE MISERIA HUMANA

De miseriis calamitatibusque humanis scribere mihi institu- 1
enti commodissimum videtur ab ortu nativitateque ordiri. Neque 2
enim consilium est originis nostrae processus conceptumque me-
morare, cuius profecto tanta foeditas est, ut Plinius vir doctissi-
mus non immerito dementiam eorum admiretur, qui ab huiusmodi
initiis se ad superbiam genitos putant.

Natus homo a fletu statim vagituque vitam auspicatur; quod 3
enim Zoroastrem Bactrianorum regem eadem, qua genitus est, die
risisse perhibent, adeo rarum est, ut in portentis habeatur. Exci- 4
piunt deinde vincula manuum pedumque. Et cum natura ceteris 5
animantibus dederit, ut in lucem edita statim, quae his conducunt,
intelligant et adversa reformident, homo, qui se animalium nobi-
lissimum existimat, nihil horum penitus novit. Sed neque ingredi 6
cibumve sumere absque institutione et disciplina scit moriturus
certe quamprimum, nisi illius imbecillitas aliena ope sustentaretur.

Postquam autem pedes solidius stabiliusque figere et linguam 7
balbutientem in sermonem clarum formare coepit, quottidianas
cum coaetaneis rixas iurgiaque exercet, dum et eos offendit et se

ab eis offensum queritur. Haec autem omnis contentio est solum 8
de crepundiis, nucibus, crepitaculis turbinibusque, ut pueriles
hae querelae non tantum alienis, sed ipsis parentibus molestae
fastidioque plenae sint. Affligitur interim ferulis scuticisque et 9
mortuos, ut loquitur Plautus, incursat boves. Si vultum pudore 10
demiserit tacueritque, pudor silentiumque suum, quasi sint indicia
animi minime generosi, reprehenduntur. Sin autem quid liberius 11
petulantiusque protulerit, notatur in eo licentia verborum et libertas
immodestiae adscribitur, quodque multo prudentioribus dictum
impune esset, id pueris, qui venia digniores erant, dixisse fraudi
est. Ad alterius arbitrium comedunt bibuntque. Nunquam, quando 12 13
volunt, dormiunt vigilantque, sed cum is, cuius curae potestati-
que commissi sunt, iubet. Si quando se voluptati tradere et venari, 14
piscari aucuparique ceterisque id genus exercitationibus animos
laxare cupiunt, arcentur ab omnibus, quasi neque aquarum peri-
cula neque silvarum latrocinia cavere didicerint. Accidit etiam 15
saepe, ut non ob culpam verbera luant, sed ut magistrorum irae
satisfaciant saevitiamque expleant. Sunt enim plerique ex eo 16
numero adeo stulti, ut convicio iniuriaque lacessiti non in auc-
tores iniuriae, sed in pueros bilem conceptam evomant. Non sum 17
equidem tam imperitus rerum humanarum, ut aetati tenerae nimium
indulgendum arbitrer, sed doleo querorque eo nos sive fato quodam
sive, ut Christiane loquar, primi praevaricatione parentis redactos,
ut sine huiusmodi afflictionibus ad virtutis frugem pervenire non
possimus.

Progressi in adolescentiam et famosum illud Pythagorae bi- 18
vium magna ex parte voluptates deliciasque sectantur. Quorum 19
si qui ad amores Veneremque se transferunt, gemunt ante fores
puellarum, suspirant lamentanturque, dies noctesque insomnes
ducunt. Si amica parumper arriserit, efferuntur gaudio futili in- 20
anique laetitia deliquescunt, quasi plane optime felicissimeque cum
eis agatur. Si subtristem vultum ostenderit, adeo franguntur animo, 21
ut vitam sibi acerbam intolerabilemque existiment. Nulla his con-
stantia, nulla compositio morum est. Incedunt nonnunquam pallida 22
facie, promissa barba, habitu sordido; rursus autem coronantur
rosis et comam aut in gradus frangunt aut calamistris inurunt
atque in tantum effeminantur, ut eas, quas amant, in mundiciis
superent, negligunt famam, amicos recta monentes hostiliter per-
sequuntur. Et quamvis infinita illis pericula immineant, adeo ta- 23
men caeci improvidique sunt, ut omnia contemnant et, quocun-
que libido ducit, praecipites eant. Omnis eorum cogitatio circa 24
puellas versatur; de his somniant, has expetunt et omnes suas
curas sollicitudinesque in his defigunt et collocant. Ad harum 25
nomen aspectumque subinde et pallent et erubescunt atque, ut
eleganter dictum est, in alieno vivunt corpore, in suo mortui sunt.
Hos profecto nisi miserrimos dixerimus, vereor, ne plus illis, qui 26
amant, insanire videamur. Multi etiam ex his, dum non tantum 27
ipsi sumptuose vivunt, sed etiam puellis gemmas, aurum, sericum

et sumptus ceteros subministrant, amplissima patrimonia dissipaverunt, et qui antea plurimi existimati sunt, opibus consumptis
omnibus despectui ludibrioque fuerunt. Unde desperatio nata est, 28
ex qua deinde maxima atrocissimaque scelera profluxerunt.

Late hoc loco vagari possem et omnes veterum comoedias 29
fabulasque repetere innumerisque confirmare ea, quae locutus
sum, exemplis. Possem itidem referre, quot caedibus incendiisque 30
pestiferae hae cupiditates humanum genus saepenumero involverint, quot urbes nationesque perdiderint. Sed alio nostra festinat 31
oratio neque etiam ullum arbitror, apud quem haec dubia sint.

Quid dicam de his, quorum venter, ut Paulus ait, deus est, 32
quorum gulae terrae mariaque non sufficiunt? Populantur silvas 33
et flumina, vina e Cypro, Creta Chioque convehunt, domesticis
deliciis peregrinum quoque luxum addunt. Quicquid agunt loquun- 34
turve, semper animus eorum in patina est. Ingurgitati demum et 35
tanquam opimi boves cibo distenti hiant, oscitant, ructant, nonnulli etiam vomitu sibi medentur et, ut Hieronymus ait, quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Quodsi Plato beatam illam vitam 36
Syracusanarum Italicarumque cenarum, ubi bis in die saturi fiebant, minime probat neque putat quemquam, tametsi mirabili natura sit praeditus, inter hos mores ab adolescentia educatum prudentem temperatumque evadere posse, quid censemus ex istis nostris helluonibus cupedinariisque unquam futurum, qui inter epulas et
vinum assidue versari unicum vitae fructum iudicant? Praetereo 37
complures septentrionis populos, qui bibendo inter se certant, apud quos tanto quisque honoratior est, quanto plures fecundioresque calices exhaurit, quibus etiam inter potandum praesentibus matronis virginibusque vomere honestum est. Patrum nostrorum me- 38
moria Ulricus Goriciae comes liberos suos a somno excitatos
bibere cogebat turpe credens sine siti posse somnum capere. Re- 39
fert Aeneas quendam ex proceribus nostris filios adhuc in cunis vagientes Cretico Pucinoque vino assuefecisse, quo capita eorum deinceps ex assuetudine fortiora et ab ebrietate tutiora forent.
Neque hoc peculiare gentium nostrarum vitium est, ut vulgo apud 40
Italos creditur. Iam antea certe Alexander Macedonum rex prae- 41
mium proposuit his, qui plurimum biberint, qua in compotatione
quadraginta unum exhalasse animam Chares scribit. Gravissimo 42
Romanorum Catoni temulentia obiecta est. Antonius triumvir de 43
ebrietate sua edidit librum. Neque Cicero filius interfectori patris 44
hanc palmam concessit. Mediolanensis quidam tres congios uno
spiritu exhauriebat. Philoxenus, ut Aristoteles auctor est, optabat 45
sibi collum gruis a diis immortalibus dari, quo suavitatem cibi
potusque diutius sentiret. Sardanapallus Assyriorum rex sepul- 46
cro suo inscribi iussit:

Haec habui, quae edi quaeque exsaturata libido
Hausit; at illa manent multa et praeclara relicta.

Ede, bibe, lude.

Dignior profecto, qui popinae quam regno praeficiatur. Neque 47
Aristippus Cyrenaicus ab hac sententia admodum alienus fuit, qui
omnes res homini expetendas corporis voluptate metitur. Hinc fit, 48
ut in multis non solum membra nervique contabescant et debili-
tentur, sed etiam omnis vis mentis atque ratio corruat. Hinc 49
mortiferae voces, quas, dum vino madidi emittimus, saepenumero
nos non emisisse magno emeremus. Hinc omne nefandarum libi- 50
dinum genus.

Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis et capitis quae sint discrimina, nescit.

Hinc vitia facinoraque interdum tragoediis digna oriuntur. Legi- 51
mus in sacris litteris Noe vinolentum pudenda nudasse, Loth a
filiarum concubitu minime abstinuisse. Alexander ille, cuius paulo 52
ante mentionem feci, dum incaluisset mero, regiam Persarum,
quae quondam tot populis iura dabat, iussit incendi; Clitumquo-
que acceptissimum militem interfecit. Adversus huius patrem ce- 53
lebre cuiusdam aniculae dictum est a Philippo ebrio ad Phi-
lippum sobrium provocantis. Sed nimium hic morati sumus et, 54
dum adolescentiae miserias attingere conamur, omnem paene vim
naturamque ebrietatis descripsimus.

Sequitur iuventus, quae tanto durior molestiorque est, quanto 55
in malum suum ingeniosior. Neque enim in rem praesentem so- 56
lum consulit, sed futura quoque providet;

Quaerit amicitias, inservit honori,

ut ait Flaccus. Ex hoc coetu quidam sibi res bellicas deligunt et 57
in eis excellere pulcherrimum arbitrantur. Hi magnam aetatis par- 58
tem sub divo in castrisque agunt, torrentur sole, indurantur ven-
tis, aduruntur frigore et omni temporis momento finem vitae 59
exspectant. Nihil his sanctum, nihil religiosum. Non sexui, non 60
aetati parcunt, non a templis coenobiisque abstinent: aeque sacra
atque profana habent, rapiunt, spoliant, omnia ferro flammisque
vastant et, si quas opes per summam crudelitatem avaritiamque
adepti sunt, eas per luxuriam prodigalitatemque consumunt rur-
susque ad novas incitantur spes neque unquam aut sub legibus
vivere aut pacem ferre possunt et inter quottidianas rapinas semper
sunt pauperes; interdum etiam ad hostes transfugiunt et eos, qui-
bus olim militabant, nunc armis premunt. Neque enim causas 61
iustitia aequitateque ponderant, sed ibi ius fasque censent, ubi
plurimum mercedis offertur; ipsi, quid deceat honestumque sit,
statuunt, ipsi humanis moribus leges praescribunt, adversus quas
si quid hiscere tentabis, prorsus ridebere. Quis enim mentis com- 62
pos audeat tot caligatos offendere et exasperare? Dant tamen non- 63
nunquam poenas scelerum, dum felicitati suae nimium indulgent
et debilitati iam vulneribus laboribusque exhausti laqueo suspen-
duntur, securi percutiuntur et incendio absumuntur, ut nuper his,
qui sub Mathia Pannoniae rege merebant, contigit, quorum ple-

raque milia partim in Pannonia exauctorati, partim in Austria
miris inauditisque modis excarnificati poenas dederunt. Quid dicam 64
de his, qui a Turcis Saracenisque capti aut crudelissime necantur
aut servitutem morte graviorem ferunt?

Ceterum sunt, qui vitam militarem perosi longe utilius nego- 65
ciari putant et, quae milites vi atque armis, id isti dolis fraudi-
busque agunt. Fallunt enim, mentiuntur, periurant neque ullum 66
facinus, quod lucrum afferat, pertimescunt atque ob id apud non-
nullas gentes nihil aliud quam legitimi quidam praedones existi-
mantur. Nulla his quies aestate hiemeve permittitur, vagantur longe 67
lateque, extremas adeunt oras, insulas lustrant, portus littoraque
scrutantur et, dum paupertatem vitant, omnia terrae marisque peri-
cula subeunt, iactantur tempestatibus, opprimuntur a piratis, a
latronibus spoliantur et, quod miserrimum est, quanquam plerum-
que tuti sunt, nunquam tamen securi, sed ad omnes strepitus
horrent trepidantque, multi etiam fluctibus obruuntur et cum divi-
tiis, quas per fas et nefas quaesiverunt, vitam simul amittunt.
Navigantibus nobis ex Aegypto versus Chium Aegaei maris in- 68
sulam fama erat quadraginta diversi generis navigia mercibus
onusta eo anno naufragio submersa. Scitum illud Anacharsis 69
philosophi est, qui interroganti cuidam, viverentne plures an mortui
essent, Navigantes, inquit, in qua parte constitues, qui palmo
dumtaxat a morte distant? Quid, quod negociatores non solum 70
ipsi miseri sunt, sed etiam aliorum integritatem corrumpunt et
depravant mollesque reddunt atque eo pacto miseros efficiunt.
Plato vicinitatem maris civitatibus inutilem putat, quoniam, ubi 71
mercibus pecuniisque repletae sunt, quod urbibus maritimis pecu-
liare est, homines dolosi animi instabilesque gignunt et infidos
mores pariunt. C. Caesar scriptum reliquit Belgas propterea 72
omnium Gallorum fortissimos esse, quod minime mercatores ad
eos saepe commeant atque ea, quae ad effeminandas mentes
pertinent, important. Innumeras hoc res publicas evertit, quotiens- 73
cunque alicui sapere, ut ait ille,

Cum pipere et palmis venit.

Habebant patres nostri, antequam tanta frequentia mercatorum in 74
provincia versabatur, firma corpora patientissima laborum et ad
omnem vim fortunae tolerandam parata; nunc autem externis
voluptatibus enervati ab his, quibus antea terrori eramus, adeo
contemnimur, ut, quod de Hannibalis exercitu Livius ait, magis
nos praeteritae victoriae quam praesentes vires ab hostibus tuten-
tur. Quippe eo ventum est, ut non tantum arma, verum etiam 75
vestimenta nobis oneri sint. Irridet id in Romanis unus ex poetis 76
inquiens:

Rusticus ille tuus sumit rechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.

Transeo ad illos, qui ex vineis agrisque et ceteris huiusmodi, 77

quae rei rusticae nomine continentur, victum sibi quaerunt, quos
cur Cato minime male cogitare opinetur, nescio; quandoquidem
constat eos saepe vicinis invidere, insidiari caritati civili, omnes
interdum caelites incusare. Difficile est profecto horum aerumnas 78
referre. Ut enim praeteream servos, quorum labore terra aratur, 79
sarritur, stercoratur, occatur, quorum manibus vineae putantur,
propagantur, ablaqueantur, pastinantur, ipsos patres familias pa-
rumper consideremus, qui, dum se felices credant, miserrimi sunt.
Primi enim omnium a somno excitantur, postremi cubitum eunt 80
et, nisi ita fieret, res familiaris in magno periculo esset. Audiunt 81
assidue familiam strepentem rixantemque. Ille villico, quem aliis 82
praefecisti, parere recusat, hic mercedem importune exigit, huius
furtum, alterius negligentia tibi damnosa est. Si omnia delicta 83
cohercenda putaveris, efficies, ut id genus homines a domo tua
quasi carnificina quadam abhorreant; si benigne ages, et tu con-
temneris et illorum nullus in officio permanebit, nonnunquam
etiam dissimulare iram cogeris, ne, si quempiam ex servis verbis
acrioribus corripueris, eo tempore, quo opera eorum maximi
est, aufugiat. Quid, quod ipse fructus, qui ex terra speratur, per- 84
quam raro votis patris familias respondet. Nam frumenta frequen- 85
tissime aut herbescentia in stipulamve fastigiata rubigine pereunt
aut matura grandine conteruntur aut iam in horreum convecta
fortuito absumuntur incendio. Vineis interdum siccitas obest; 86
plerasque, ubi iam germinant et gemmas parturiunt, subitum gelu
adurit. Greges quoque et armenta, quando iam plurimam de se 87
spem praebent, aut veneficio maleficarum aut morbo intereunt et
ostendunt cogitationes patris familias nihil esse. Quam ob rem 88
appellet sane Maro

fortunatos, sua si bona norint,
Agricolas,

ego tamen eos e numero calamitosorum minime eximo.

Restat, ut de his, qui in re publica aetatem traducere opti- 89
mum iudicant, pauca disseramus. Quos profecto honorum diviti-
arumque cupiditas adeo excaecavit, ut libertatis suae, qua nihil
homini dulcius est, penitus obliviscantur. Coguntur enim multos 90
observare et illorum se pedibus provolvere, quos odio habent;
coguntur, inquam, blandiri et multum pro aliorum voluntate sumere;
quodsi aliter fecerint, et inhumani et subrustici reputabuntur. Si 91
quis ex principibus rei publicae quempiam supplicio afficit, laudanda
eius severitas est, si nocentem impunitum dimittit, clementia beni-
gnitasque praedicanda; huius sapientia Salamoni praeferenda, illius
iustitia Aristidi; hunc Fabricio Curioque gravitate comparare opor-
tet. Si qua tibi eloquentia a natura data est, assistendum est ami- 92
cis, sive iusti sive iniusti sint, alioquin etiam in iustissima causa
ab eis desereris patebisque omnium iniuriae. Neque te putes ad 93
gloriam opesque ulla virtute pervenire posse. Nisi enim muneri- 94
bus, ambitione ceterisque malis artibus id subinde tentaveris, sem-

per in imo haerebis. Notavit id iam antea in saeculo suo Iuve- 95
nalis dicens:

> Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
> Si vis esse aliquid: probitas laudatur et alget.

Si autem tibi fato sublimis locus continget, non carebis invidia; 96
ille de tuo peculatu rumusculos in vulgus sparget, hic de ambitu
et, quicquid in re publica perverse actum fuerit, tuae superbiae
arrogantiaeque adscribet altumque dignitatis gradum, quem sua
virtute atque innocentia non potest, criminibus tuis et ruina con-
sequi conabitur. Quo fiet interdum, ut dum florere et clarus esse 97
plus aequo appetis, vitam in discrimen coniicias. Scivit id 98
Demosthenes vir in dicendo primarius, quem tradunt solitum esse
adolescentes monere, ne ad rem publicam accedant, quoniam si
duae viae propositae essent, quarum altera ad mortem, altera ad
rem publicam ducerent essentque manifesta, quae eos, qui in re
publica versantur, subire oportet, neminem dubitaturum eam,
quae ad mortem ducit, praeeligere.

Satis superque de iuventa locuti sumus; itaque senectutem 99
parumper attingere libet, cuius incommoda poeta maximus ita
expressit:

> Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
> Prima fugit, subeunt morbi tristisque senectus
> Et labor et durae rapit inclementia mortis.

Nam primum corpora eorum fere quottidie languent, labant genua, 100
tremunt manus, caput vertigine rotatur, caligant oculi, obsurde-
scunt aures, omnium denique membrorum nodi compagesque sol-
vuntur. Adde his purulentiam stomachi et madidi infantiam nasi, 101
quae, ut ait satirus, etiam captatoribus fastidium nauseamque
parit. Voluptates eis non solum cibi Venerisque, quas vix som- 102
niando cognoscunt, sed honestiores quoque et ingenuo homine
dignae nullae omnino contingunt. Quomodo enim se aucupio ve- 103
natuque oblectaret, qui ne assurgere quidem sine auxilio servorum
potest? Quomodo Marsyae, Antigenidae, Orphei Amphionisque 104
modos audiret, quando numerum horarum intonari auribus eius
a puero necesse est? Quomodo carmen compositum aut oratio- 105
nem cum sauvitate decurrentem ediscere et vim rationemque eius
perspicere posset, qui adeo obliviosus est, ut interdum nomina
liberorum ignoret? Difficiles sunt, queruli, morosi et, quod amici 106
quoque senectutis confitentur, loquacissimi. Laudant praeterita tem- 107
pora, damnant praesentia, omnia suspecta habent. Quicquid agitur, 108
in contumeliam suam agi putant, obiciunt uxoribus adulteria, filios
tanquam ingratos exheredant et, quia sibi contemptu digni viden-
tur, ab omnibus se contemni existimant. Id autem propterea fit, 109
quoniam auctoritatem, quam antea eloquentia aut rebus bellicis
consecuti sunt, in senecta amittunt, quod profecto eorum dumtaxat
culpa accidit, quia malunt deficere quam ab eiusmodi laboribus

desinere. Quodsi inveniuntur aliqui et firmiore valitudine et inge- 110
nio vivaciore, qualis apud Homerum Nestor erat, cuius e lingua,
ut idem auctor scribit, sermo melle dulcior profluebat, tot tamen
adversa patiuntur, ut eis mori interdum praestet. Vident filiorum 111
caedes, funera, scelera flagitiaque, ut plerunque, si fieri posset,
nollent sibi eos genitos esse, vident stupra adulteriaque et insa-
tiabilem filiarum libidinem, vident ruinam, interitum vastitatemque
patriae. Hoc certe illud est, quod apud Maronem Euander et apud 112
Homerum Priamus lamentantur. Neque enim aliorum tantum cla- 113
des vident, sed ipsi quoque fortunae mutabilitatem atque incon-
stanciam nonnunquam sentiunt. Felix erat Priamus, sive liberorum 114
numerum virtutemque inspicis sive magnitudinem imperii. Sed
quorsum eum tandem longa aetas perduxit? Nempe, ut non solum 115
infinitam vim civium, sed etiam filios crudelissime ante oculos
suos trucidari videret civitatemque longe omnium clarissimam dirui
et excindi atque ut postremo ipse quoque hostili gladio occumbe-
ret. Fortunatus sibi visus est apud Herodotum Croesus et Solo- 116
nem monentem, ne quem ante exitum vitae felicem credat, irrisit;
ceterum, postquam senex factus a Cyro Persarum rege non tantum
captus est, verum etiam pyrae impositus, tunc primum monitoris
sapientiam agnovit. Illa quoque mulier Cea Valerio multum cele- 117
bratur, quae, cum diu ex sententia et nunquam omnino adversam
fortunam experta vixisset, metuens, ne quid in extrema iam senec-
tute molesti pateretur, hausto veneno mortem sibi exemplo minime
Christianis imitando conscivit. Quin, etiamsi omnia circa senes 118
optime aguntur, mors tamen propinqua atque iam instans animos
eorum nocte dieque non angere non potest. Neque enim verum 119
est, quod vulgo dici solet, et senes diu vivere et iuvenes cito
posse mori, sed, ut illa vidua apud Hieronymum ait, iuvenes qui-
dem cito possunt mori, senes autem impossibile est tempore longo
vivere. Scio multa adversus haec non solum a philosophis, sed 120
etiam nostris, hoc est verae religionis cultoribus scribi, utpote a
quibus et mors et senectus saepenumero laudatur. Quae tamen 121
omnia eo potius tendunt, ut solacio nostrae miseriae sint, quam
ut eam nobis adimant et auferant.

Explicavimus breviter uniuscuiusque aetatis defectus; nunc 122
diversos status et condiciones diligenter consideremus. Quocunque 123
enim te vertes, quocunque oculos coniicies, passim vanitas tibi et
afflictio spiritus occurret.

Plebeios, si placet, primum inspice et eos, qui artificio suis 124
necessitatibus consulunt, hoc est cerdones, fullones, sarcinatores,
textores, politores gemmarum, sculptores marmorum, et invenies,
quam duram calamitosamque vitam agunt. Transfer te rursus ad 125
caementarios, fabros, metallorum lignorumque caesores atque eos,
qui auri gratia profunda terrarum scrutati ipsi auro concolores
redeunt. Revolve tecum Italiae, Galliae Germaniaeque urbes, Ro- 126
mam denique ipsam, tot subterraneos specus, vias lapide stratas,
aquae ductus; quantum in his condendis muniendisque laboris

exhaustum est? Vidimus in Aegypto pyramides e regione Mem- 127
phis trans Nilum sitas, quarum maximam a tercentis sexaginta mili-
bus hominum annis viginti factam tradunt, neque tamen constat,
cuius imperio atque sumptu, iustissime, ut ait Plinius, oblitteratis
tantae vanitatis auctoribus, quamquam Iosephus id opus pharaoni
tribuit, dum populum Israheliticum inutili superfluoque labore
affligere vellet. Vidimus Ephesi ruinas templi Dianae, quod ducen- 128
tis viginti annis a tota Asia aedificatum fuisse perhibent. Vidimus 129
per Graeciam Asiamque et theatra et plerasque alias ingentis ope-
ris moles. Hortos pensiles omnis antiquitas admiratur neque pro- 130
fecto iniuria. Quid enim mirabilius, quam inventum esse quem- 131
piam tantae dementiae, ut mulierculae a se amatae deliciis tot popu-
lorum sudore satisfacere vellet? Praetereo sepulcra Aegypti, laby- 132
rinthos obeliscosque, quorum unum a viginti milibus hominum
factum aiunt. Carthaginem, Athenas, ipsam denique Babylonem 133
omitto. Quanta, dum haec omnia fiunt in excidendis, convehendis, 134
ferruminandis in altumque surrigendis lapidibus, miseria fuit?
Quin etiam nonnulli ex regibus ipsam rerum naturam hominum 135
opera mutare voluerunt. Montem Athon Xerses rex Persarum a 136
reliqua terra separavit. Tyrum insulam Alexander Magnus conti-
nenti adiunxit. Quidam Rubrum mare nostro committere tentave- 137
runt et non gloriae, ut optabant, sed insaniae suae monumentum
posteris reliquerunt. Neque laboribus solum infelix vulgus oppri- 138
mitur, sed omnium, quae inde quaeruntur, arbitrium atque po-
testas penes dominos est. Coguntur tributa conferre, solvere stipem 139
militibus, alere insatiabiles dominorum ministros, quicquid in hi-
striones, scorta, lenones, assentatores expendunt, praestare, su-
perbiae denique eorum et profusissimae largitioni, quae vix ullum
fundum habet, sufficere. Si recusant atque paupertatem inopiam- 140
que praetendunt, carceribus, flagris aut, si modestissime fit, pi-
gnoribus captis adiguntur. Capitale his est liberam vocem emisisse 141
et, si paulum abundare creduntur, laesae maiestatis rei sunt; non-
nunquam etiam ex levissima suspicione subiciuntur tormentis et
prius puniuntur, quam liquido constet eos poena supplicioque
dignos esse et, dum creditur eo solum modo veritas deprehendi
posse, in vitam moresque alterius per cruciatum hominis aliquando
prorsus innocentis inquiritur.

Reges principesque ipsos vulgus beatos existimat. Pulchrum 142
enim putatur in purpurea cubare culcitra, bibere gemma auroque,
margaritis unionibusque vestiri, imperare gentibus, exercitum,
quandocunque libet, congregare, incedere magno servientium agmine
stipatum, posse unumquemque pro libidine aut divitem clarum-
que facere aut occidere, posse illudere subditorum uxoribus filia-
busque et omnibus denique deliciis abundare. In qua opinione 143
cum aliquando Diomedes esset, edoctus a Dionysio Siciliae tyranno
sensit errare se et omnem hunc regium apparatum longe

Plus aloes quam mellis

habere. Ut enim omittam sollicitudines molestiasque regum, quid 144
tandem unquam agunt, quod his, quibus praesunt, acceptum sit?
Queritur populus se impositis censibus atque tributis gravari; que- 145
runtur negociatores nimium avare a publicanis vectigalia exigi;
queruntur milites se stipendiis fraudari; queruntur litigantes cau-
sas suas de die in diem differri. Ille indignatur tantum nonnullos 146
auctoritate apud reges valere, ut ex eorum dumtaxat sententia
omnis res publica administretur. Alter ait eum venationi solum 147
vacare et voluptates suas regni saluti utilitatique anteponere. Si 148
arma tractant et bella ex bellis serunt, sanguinarii iudicantur et
pacis inimici; sin autem otio quietique student, formidolosi et, ut
dici solet, sacerdotio quam regno aptiores censentur. Praebere 149
omnibus copiam se adeundi non parvum maiestatis contemptum
affert; arcere autem aliquos inhumanitati cuidam atque arrogan-
tiae adscribetur. Adde quod nemo mortalium pluribus subest 150
periculis quam reges et principes. Ut omittam tumultu militari 151
oppressos aut ab hostibus occisos, a quo tandem genere homi-
num eos cavere non oportet? Philippum Macedonem Pausanias 152
eius satelles interfecit, Darium Persarum regem sui vinxerunt con-
foderuntque, Alexandrum Magnum veneno necaverunt. Henricum 153
eius nominis septimum principem Romanum, ut ceteros taceam,
sacerdos quidam eucharistia veneno illita extinxit, quale scelus,
nescio, si ulla unquam saecula viderunt. Quid enim iam tutum 154
erit, si sacramenta quoque cum praegustatione sumenda sunt?
Pannonii proceres Sigismundum, nostri Wenceslaum in vincula 155
coniecerunt. Apud Litvanos iuvenes quidam adversus Svidrigallum 156
coniuraverunt et irrumpentes in cubiculum ursa duce principem
optimum occiderunt. Idem accidit nostra aetate Galeatio Mediolani 157
duci. Praetereo Maximilianum Wladislaumque reges, quos nisi 158
divina quaedam virtus tueretur, iamdudum suorum fraude occu-
buissent. Quid, quod a patruis, fratribus liberisque parum tuti 159
sunt? Romae

> Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Apud Thebanos 160

> Fraternas acies alternaque regna profanis
> Decertata odiis

scribit Papinius. Apud Cyprios Petrus rex, qui Aegyptiis Syrisque 161
innumeras clades intulerat, a fratre interemptus est. Quae inter 162
Fridericum et Albertum in Austria et Christophorum alterumque
Albertum in Bavaria acta sunt, quis nescit? Nuper inter Pasaitem 163
et Zyzimum fratres de Turcarum imperio tanto odio certatum est,
ut victus Zyzimus maluerit se Christianorum fidei committere quam
fratris. Existentibus nobis in Africa de Tunetis principatu fratres 164
patruelesque summis viribus contendebant et, quotiens quis in
potestatem aemuli venerat, oculis ferro candente inustis visu pri-
vabatur. Hercules Estensis memoria mea Nicolaum patruelem Fer- 165

rariam occupare conantem securi percuti iussit. Nuperrime Ioan- 166
nes Mediolani princeps non a familiaribus et gladio, ut pater, sed
a patruo et veneno exstinctus perhibetur. Davidem regem Absolon 167
filius armis persecutus est. Avorum aetate in Bavaria Ludovicus 168
filius adversus patrem eiusdem nominis diu impia bella gessit.
Quid in Geldria inter patrem et filium actum sit, homines memi- 169
nerunt. Nam parricidia Persidis, Aegypti Syriaeque regum omnes 170
veterum tragoedias exsuperant. Quid, quod multi regum regio de- 171
iecti fastigio ideo vitam retinent, ut omnibus ludibrio sint? Tale 172
aliquid Ioachim et Sedechiae regibus in Iudaea contigit. Pasaites 173
Turcarum rex a Tamerlano Partho captus nunc in morem ferae
cavea inclusus, nunc catena vinctus aurea tota Asia circumlatus
est et victori equum conscensuro scabelli vicem praebuit. Apud 174
Anglos Genuensesque reges et principes aut pelli in exilium aut
interfici paene quottidianum est. Quid, quod huic generi hominum 175
nulla cibi potusque voluptas contingit tot curis periculisque sem-
per imminentibus, ut ait ille Siculae incubator aulae cuidam ex
assentatoribus suis, qui se fortunatum putabat, ut iam monstrum
sit quemquam post tot exempla ad regnum aspirare. Novit hoc 176
profecto rex ille, qui diadema intuitus, O nobilem, inquit, magis
quam felicem pannum, quem, si quis penitus cognoscat, quam mul-
tis sollicitudinibus et miseriis sit refertus, ne humi quidem iacen-
tem tollere vellet. Hoc certe Swatoplucum Moravum impulit eremi 177
tranquillitatem laboribus regni praeferre, hoc Albertum Bavarum
Boemiae, Fridericum Brandemburgensem Poloniae regna a provin-
cialibus oblata spernere coegit.

Coniugium omni generi hominum commune est. Id quidam 178
tanti faciunt, ut sine eo vitam humanam nullam existiment; ex quo-
rum numero Augustinus quoque se aliquando fuisse ait. Ducam, 179
inquiunt, pudicam? At

casta est, quam nemo rogavit.

Ducam divitem? At 180

Intolerabilius nihil est, quam femina dives.

Ducam pulchram? At 181

Lis est cum forma magna pudicitiae.

Ducam prudentem et cautam? At per ipsos pudicitiae custodes 182
te decipiet. Exstat libellus Theophrasti de nuptiis, quem Hierony- 183
mus aureolum vocat, in quo multa non his quidem verbis, sed
in hanc sententiam scribit: primum impediri philosophiae studium
neque quenquam posse bonis artibus simul et uxori vacare, esse
praeterea multa matronarum usibus necessaria, quae sine maximo
labore conquiri vix possunt; addit, quod pleraque feminarum vi-
tia, quae ignorabamus, post matrimonium, ubi iam res minime in-
tegra est, deprehendimus. Huic mammae adeo prominent, ut in 184
Meroe natam diceres, huius anhelitus sentina gravior, hanc can-

cer rodit: habenda tamen est, qualiscunque obtigit. Neque enim, 185
ut bovem aut equum, ita et uxorem, cum displicet, alienare licet.
Adiunge his per singulas noctes garrulas conquestiones: Quid 186
in foro faciebas? Quid cum ancilla locutus es? Quare vicinam
blando nimis oculo aspexisti? Quid illi in aurem susurrabas? Ad-
spice, quantum illa a marito diligitur, ut ei omnia impetratu faci-
lia sunt, ut compta in publicum procedit! Ego sola in conventu
matronarum contemnor, servi etiam nostri exemplo tuo provocati
me despiciunt. Si tibi contemptu digna videbar, cur me sociam
tori tibi delegisti? Invenissem profecto alium, cui gratior accep-
tiorque essem. Quid, quod pleraeque non tantum privatorum, sed 187
etiam principum uxores inter adulteras publice versantur et sae-
pius viros petunt, quam petuntur? Fortassis etiam ideo nupse- 188
runt, ut sub matronali habitu venaliores sint et liberius libidini-
bus indulgeant. Messalina coniunx Claudii Caesaris elegit in cer- 189
tamen coitus nobilissimam e prostitutis et eam die ac nocte quinto
ac vicesimo concubitu superavit. Taceo, quae aetate nostra agun- 190
tur. Quis non vicus huiusmodi mulieribus abundat? Dissimulant 191
tamen omnia prudentiores mariti, ne matrum infamia aliquando
redundet in communes liberos, quorum nonulli patres tanta cari-
tate tenentur, ut illis magnum imperium opesque etiam cum summa
animarum suarum pernicie relinquere cupiant.

Quid loquar de his, qui litteris dant operam, quam infinitis 192
sint subiecti miseriis? Ediscunt grammatici historias gentium et 193
fabulas, occultos sensus poetarum scrutantur, investigant urbium,
montium fluminumque loca; quaerunt, quod nomen Achilli inter
mulieres erat, quot cados vini Acestes Aeneae donaverit, forcepsne
prius an malleus fuerit, et, si quispiam eiusmodi aliquid, quod
ceteros latebat, deprehenderit, magnum se quiddam confecisse
putat. Torquent enthymemata logici, syllogismorum struunt silvas 194
et captiosis argumentorum ambagibus mentibus imperitorum illu-
dunt. Irridet hos Socrates apud Platonem, Dion eos eunuchis 195
comparat. Origenes per ciniphes et ranas, quibus Aegyptii sunt 196
percussi, vanam dialecticorum garrulitatem intelligit. Rhetores ante 197
oculos schemata et tropos habent, prohemia epilogosque secum
volvunt, meditantur epicheremata et implicita evolvere involutaque
posse vi eloquentiae explicare pulcherrimum iudicant. Geometrae 198
circa lineas circulosque versantur, rimantur diametros, trigonos
tetragonosque et ab angulis obtusis acutisque et ceteris id genus
nunquam recedunt. Musicorum cura est diversarum vocum con- 199
centus, quem illi harmoniam nominant, ex qua Aristoxenus —, adeo
ab artificio suo non recessit, — animam quoque constare existimavit.
Arithmeticorum labor ex pari imparique constat, perfecto imper- 200
fectoque numero et superparticulari atque superpartiente diversis-
que naturis et compagibus eorum, quas illi proportiones vocant.
Caelum astrologus metitur, ingenio contemplatur varios orbium 201
motus, epicyclos, absides eccentricosque.

Omitto medicorum, philosophorum, theologorum, iurisconsul- 202

torum tortuosas disputationes atque maeandros. Quantis molestiis, 203
quot laboribus, quibus vigiliis, quanto denique valitudinis detri-
mento id consecuti sunt? Hoc est profecto, quod Persius Pirenem 204
fontem Musis dicatum pallidum appellat, hoc, quod ille apud Ci-
ceronem Minervam, quia minuat nervos, dictam putat. Celsus paene 205
omnes litterarum cupidos imbecillo stomacho esse ait. Ipsi vidi- 206
mus plerosque nimia discendi cupiditate ad insaniam redactos
esse et, dum ultra alios sapere volunt, communem hominum sen-
sum amisisse. Hoc idem multis aliis mortem attulit. Aristoteles, 207
magnus alioquin vir, in hac re leviculus fuit. Dum enim naturam 208
Euripi investigare non posset, se in profundum eius praecipitans,
Quoniam, inquit, Aristoteles Euripum capere non potest, Euripus
Aristotelem capiet. Homerum scribit Plutarchus, dum aenigma quod- 209
dam interpretari non potuisset, tanto dolore affectum, ut e vita
migraverit. Diodorus sapientiae dialecticae professor lusoria quae- 210
stione non protinus dissoluta pudore mortuus est. Haec eadem 211
causa nonnullos perversis opinionibus et Christianae religioni pror-
sus inimicis infecit. Quid enim aliud Origenem, Eusebium, Apol- 212
linarem innumerosque alios in perniciosissimos traxit errores?
Iubet Paulus non plus sapere quam oportet, sed sapere ad so- 213
brietatem. Huic si plerique aetatis nostrae, qui sibi scioli videntur, 214
parerent, ab opinionibus novis et ecclesiasticis institutis adver-
santibus abstinerent Ex hoc etiam fonte manant perpetuae illae 215
concertationes inter eos, qui aut Albertum aut Thomam Aquinatem
aut Ioannem Scotum suarum opinionum ducem habent, inter quos,
quo ab homine Christiano nihil alienius est, in solis paene his,
ad quae religione astringuntur, convenit.

Referam nunc acervatim reliqua, quibus universum genus 216
humanum affligitur, morbos scilicet cardiacum, comitialem, regium,
articularem, ignem sacrum, tormina, elephantiam, carcinomata, le-
pram et tot febrium genera, addo dentium oculorumque dolores,
vertiginem capitis, tremorem membrorum, exulcerationem visce-
rum, aquam inter cutem et mille alia eiusmodi, quorum pleraque
tot medicorum ingenia hactenus investigare non poterunt Ipse certe 217
Galienus neminem putat esse, cui valitudo ex omni parte perfecta
sit. Accedit his, quod interdum foeditas aegritudinis omni dolore 218
gravior est. Alcman et Pherecydes et Sylla dictator pediculari morbo 219
perierunt. Herodem scribit Iosephus vermibus ex eius verendis 220
erumpentibus mortuum esse. Nuper Burianus Gutsteinus inter pro- 221
ceres nostros clarus ea corporis parte, per quam excrementa emitti
solent, putrefacta misere exspiravit; cuius profecto coniunx Si-
guna non est fraudanda gloria sua, quae nulla maritalis morbi
foeditate a complexu eius divelli potuit.

Innumerabiles sunt alii mortalium casus. Quid videtur, inquit 222
Augustinus, sedente securius? At de sella, in qua sedebat, ceci- 223
dit Heli sacerdos et mortuus est. Quid dormiente quietius? At 224
Cornelius Rufus inter dormiendum visum amisit. Quid minus me- 225
tuendum uxore? At Alexander Pheraeus ob pellicatus suspicio-

nem ab uxore interfectus est. Agrippina Claudium Caesarem poti- 226
one sustulit. Legimus in historia Longobardorum Rosimundam He- 227
melchiclis, cuius amore deperibat, auxilio usam Alboinum maritum
obtruncasse. Quid fratre homini coniunctius? At in ipso statim 228
nascentis mundi exordio frater fratrem interfecit. Quid paterno af- 229
fectu indulgentius? At Constantinus, ne Brutos Torquatosque lo-
quar, Crispum filium occidi iussit. Multi non tantum a feris be- 230
stiis, sed a canibus animali domestico lacerati interierunt. Aeschy- 231
lus poeta tragicus Gela Siciliae urbe, in qua morabatur, egressus
in loco aprico consedit; huius capiti aquila splendore eius, quo-
niam capillis vacuum erat, elusa velut lapidi testudinem illisit, ut
eius carne, cum fracta esset, vesceretur; quo ictu Aeschylus deces-
sit. Animus gaudens, inquit Salomon, aetatem floridam facit. 232
At Sophocles et Dionysius Siciliae tyrannus gaudio perierunt. 233
Mater quoque illa post cladem Romanorum apud lacum Trasu- 234
menum, ubi filium, quem falso interfectum audiverat, subito in-
columem vidit, simili de causa exstincta est, ut Livius testatur. Cor- 235
nelium Gallum et Q. Heterium in Venere obiisse Plinius et Vale-
rius tradunt. Quam multi fulgure, incendio ruinaque pereunt! Quam 236
multos terrae motus opprimit! Ioannes ulterioris Hispaniae rex
equi casu exanimatus est. Fridericus Caesar cognomento Barba 237
rubra, dum iam Armeniam teneret et maximas res adversus Sara-
cenos gesturus videretur, in flumine quodam submersus est. Ne- 238
que enim humiles et nulla in re cognitos commemoro, quorum nu-
merus paene infinitus est.

Adde his famem, quae interdum non modo obscenorum ani- 239
malium, sed etiam humanis carnibus et, quod dicere quoque horret
animus, liberorum vesci coegit. Notum est facinus illius mulieris, 240
quae Tito Hierosolymam obsidente filium suis iugulatum manibus
comedit. Id antea in Samaria contigisse sacrae litterae continent.
Audivimus in Africa apud Tunetem, antequam Christianae naves 241
eo frumentum convexissent, ducentos interdum homines una die
fame periisse. Vidimus ipsi infelix illud vulgus macie confectum 242
genibus in terra repere et grana frumenti ex camelorum, equorum
asinorumque stercoribus collecta avide devorare.

Adiunge his pestilentiam et magnos nonnunquam populos 243
intemperie aeris deletos. Ut autem omittam pestem Atheniensium 244
Thucydidi et Lucretio celebratam et Romanorum, cuius gratia spi-
ritum nequam in draconis forma sub nomine Aesculapii ex Epi-
dauro adduxerunt, quae tandem gens natioque tota Europa, Asia
Africaque hoc malum non sensit? Dum essem in Aegypto apud 245
Memphim, fama erat paucis ante annis intra trium mensium spa-
tium quater et vicies centena hominum milia in ea urbe tali lue
exstincta esse.

Quid ego nunc tibi diversos cruciatus tormentaque humano 246
excogitata ingenio dicam, eculeos, cruces, rotas, laqueos suppliciumque,
quod lex Pompeia parricidis statuit, taurum Phalaridis atque
alia eiusmodi. Alexander Bessum Darii interfectorem ita occidi 247

iussit; contactis enim reste duarum praecelsarum arborum cacu-
minibus singulos Bessi pedes singulis earum alligari iussit, laxata
deinde reste arbores ad naturalem situm reversae corpus in medio
pendens discerpserunt. Apud Romanos Mettium Fufetium quadrigae 248
in diversa actae dilaceraverunt. Tradit Eusebius Caesariensis sanc- 249
tissimis martyribus, qui gentium deos colere noluerunt, ultra alios
exquisitos cruciatus arundines acutas sub unguibus infixas, plum-
bum liquefactum in loca, quibus naturalis egestio procurari solet,
infusum, feminis etiam candentes aeris fustes in pudenda ingestos.
Palum per corpus adigi aetate patrum nostrorum inventum putatur. 250
Miram profecto horum hominum crudelitatem fuisse oportebat et 251
omnibus bestiis immaniorem.

Aspice nunc imperium Assyriorum, Medorum, Persarum, Ma- 252
cedonum, Lacedaemoniorum, Atheniensium, aspice Carthaginien-
ses Romanosque et Hannibalem sedecim annis victricia signa tota
Italia circumferentem, aspice civilia socialiaque bella, Cimbros,
Teutones, Hunnos, Gothos, Vandalos, Alanos, intuere Germaniae,
Italiae, Galliae Hispaniaeque quottidianos motus, Turcas Sarace-
nosque considera et cognosces, quibus miseriis humanum genus
affligitur, quot caedes vastitatesque paucorum cupiditas excitavit,
quantus ubique sanguis fusus est funditurque, quot milia homi-
num neci et dedita sunt et deduntur. Certe solius Iulii Caesaris 253
ductu praeter civilia bella undecies centena et nonaginta duo milia
occisa esse memoriae proditum est.

Adiiciam his alia, quae, ut rarius eveniunt, ita et mirabiliora 254
sunt. Exercitus Cambysis, dum Aethiopiam peteret, arenis obrutus 255
est. Copiae Catonis, dum Caesarem fugiens Libyae deserta per- 256
agrat, paene a serpentibus interemptae sunt. Ab iisdem in Italia
Amyclae deletae. Scribit Varro oppidum in Hispania a cuniculis, 257
in Thessalia a talpis suffossum esse. Quosdam populos ranae
cicadaeque fugaverunt. Legimus in recentiori historia quendam a 258
multitudine murium devoratum esse. I nunc et te felicem existima, 259
qui minimorum quoque animalium iniuriae obnoxius es. Propter 260
haec fortasse Thraces natales hominum flebiliter, exsequias cum
hilaritate celebrabant. Inde etiam ea opinio manat, quae non nasci 261
homini optimum censet, proximum autem quam ocissime aboleri.

Manifestum itaque arbitror philosophos de summo bono dis- 262
putantes, sive in voluptate sive in virtute sive in animi, corporis
fortunaeque bonis felicitatem collocaverunt, plurimum errasse.
Neque enim in hac vita felicitas aut quaeri debet aut inveniri 263
potest. Accedunt quidem propius ad verum, qui palmam rerum 264
humanarum virtuti tribuunt; falluntur tamen et hi, quoniam virtus
non felicitas est, sed gradus atque via ad felicitatem. Stultum 265
enim esset renuntiare voluptatibus, aspernari honores, divitias con-
temnere et per sudorem iuxta Hesiodum ad virtutem conari, nisi
maior aliqua merces eam maneat. Id autem immortalitas est, quam 266
qui assequitur, is demum vere felix et beatus dici potest. Huius 267
gratia etiam virtus expetenda est; non acquiritur illa quidem hu-

mano studio et industria, sed luce sapientiae, qua nisi divinitus
illuminati fuerimus, omnes nostri labores vani sunt. Meditandum 268
tamen nobis est, ut boni simus, sentes cupiditatum animo evellendae, mens a libidinibus cohibenda, pectus ab omni contagione
sceleris custodiendum. Invocandus etiam Deus, ut Plato iubet, 269
qui nescio quo modo in eas saepenumero imprudens sententias
incidit, quae nostrae religioni mirum in modum conveniunt. Haec 270
si pio humilique corde fecerimus, non deerit creaturae suae indulgentissimus ille pater; dabit profecto, ut omnes fortunae casus aequo animo feramus, dabit, ut nihil pro eo sustinere durum existimemus, participes deinde regni sui immortalesque efficiet.

## II. — DE AVARITIA

Cupienti mihi aliquid de avaritia scribere, Sturne optime, te 1
potissimum delegi, cui munusculum hoc dicarem, qui semper et avaritiae hostis fuisti et nihil unquam pecuniarum gratia egisti.

Quanquam autem innumera veniunt in mentem, quae adver- 2
sus eam pestem commemorare forsitan operae pretium esset, servabo tamen cum delectu modum neque patiar vela orationis meae latius, quam res expostulat, pandi et, si ostendero neque divitias expetendas esse, quoniam omnium malorum causa sunt, neque in his quicquam contineri, quod ad bene beateque vivendum conducat, ab optimo praeterea atque sapientissimo quoque eas contemni atque despici, existimabo me instituto meo satisfecisse.

Ordiar autem ab eo, quod ab omnibus conceditur. Cui enim 3
dubium est nos vitare cibos noxios, potus insalubres, aeris intemperiem et quaecunque valitudini nostrae obsunt? Quodsi 4
tanta cura diligentiaque, quae corpori perniciem afferunt, cavemus, multo profecto id studiosius circa ea faciendum est, quae animum, qui corpore longe dignior atque praestantior est, depravant et cor-
rumpunt. At divitias eiusmodi esse adeo clarum perspicuumque est, 5
ut neminem arbitrer aut tam impudentem, qui id neget, aut tam
rudem, qui ignoret. Quod enim scelus tam taetrum atque dete- 6
stabile est, ad quod non immoderata pecuniae cupiditas impellat?

Respice primum stupra et adulteria et nihil paene in eo ge- 7
nere sine nummis peccatum invenies. Casta erat, ut docent fabu- 8
lae, Danae, sed, postquam Iuppiter in eius gremium aureum im-
brem demisit, stuprum passa est. Apud Terentium mulier illa An- 9
dria parce primum et sobrie victum quaeritans vivebat, sed, ubi amantes pretium pollicebantur, ut ingenium est omnium hominum
a labore proclive ad libidinem, eorum voluptati obsecuta est. Ne- 10
que ferme comoediae quicquam aliud sunt, quam lenae insidiantes fortunis adolescentium et meretrices se intemperantiae eorum
lucri gratia substernentes. Rhodope Aesopi fabularum scriptoris 11
conserva tantas opes meretricio quaestu congregaverat, ut imi-

tata magnificentiam regum ingentem impensa sua pyramidem ex-
struxerit. Flora apud Romanos simili arte immensas assecuta di- 12
vitias populum Romanum heredem reliquit atque ob id, ut tum
erat omnium gentium dementia, inter divas relata est. Lais nobile 13
Corinthiorum scortum neminem admittebat, nisi grande aes per-
solvisset. Accessit ad hanc Demosthenes orator, ut famoso amore
potiretur, sed, dum posceretur talentum, mutans sententiam, Non
emo, inquit, tanti paenitere. Nihil de aetate nostra dico, quando 14
iam omnia auro expugnabilia parantur. Eius certe feminae, quae 15
munuscula subinde acceptat, pudicitiam in periculo esse vulgus
quoque loquitur. Quin etiam pleraeque matres, ubi spes lucri ar- 16
ridet, aut dissimulant se scire, quae sciunt, aut locupletum libi-
dini ultro filias prostituunt. Nihil gravius, nihil acerbius in rebus 17
humanis adulterio uxorum iudicatur. Non desunt tamen mariti, ut 18
ait satirus, qui et lacunar spectant et ad calicem naso vigilanti
stertunt. Ex hac item opum et, quae eas comitantur, voluptatum 19
affluentia omnes illae Tiberii, Neronis Heliogabalique principum
abominabiles et dictu quoque foedae libidines manaverunt.

Adde his superbiam divitum non modo liberis, sed etiam 20
servis vix tolerabilem. Quid enim non elate contumelioseque aut
agunt aut loquuntur? Eunt, ut pomparum fercula incedere credas, 21
levant oculos et supercilia, inflatis crepant buccis, pauperibus
obviis neque salutantibus respondere sustinent et, quod miserri-
mum est, qui prius modesti atque humani erga omnes erant, partis
facultatibus adeo fastu et arrogantia pleni redduntur, ut eos, quo-
rum se antea pedibus provolvebant, nunc etiam spectare dedi-
gnentur. Multos ex his non solum propinquorum, sed etiam paren- 22
tum ob ignobilitatem et inopiam pudet; neque enim aut huius
vitae inconstantiam et volubilitatem considerant aut se eadem for-
tunae temeritate, qua exaltati sunt, rursus deprimi posse putant.
Quanto melius Agathocles ille Siciliae rex, qui, cum esset figulo 23
genitus, ad amplissimum deinde regnum provectus fictilibus saepe
cenabat et felicitatem prudenter ferendam non sermone tantum,
sed exemplo quoque docebat.

Quid ego nunc tibi furta, rapinas, caedes, proditiones et innu- 24
merabilia alia scelera ex hac eadem radice pullulantia referam?
Patrum memoria homo quidam Graii sanguinis et obscuro apud 25
suos loco natus, hoc tamen facto illustris ingentem unionum gem-
marumque vim, nempe, quae vicies centies aureum nummum
milibus aestimabantur, ex aerario Veneto sustulerat patrassetque
facinus, nisi ab eo, cuius fidei plurimum tribuebat, proditus fuisset.
C. Verris furta atque sacrilegia, quibus Siciliam depraedatus est, 26
famosae illae Ciceronis orationes ostendunt. Scribit idem Cicero 27
Milesiam quandam mulierem accepto a secundis heredibus auro
partum sibi medicamentis abegisse. Apud Maronem Polymnestor 28
rex Thraciae

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat et auro
Vi potitur.

L. Septimuleius C. Gracchi, cuius familiaris erat, caput prae- 29
cidit, quoniam Opimius consul se id auro repensurum promiserat.
Curio, ut Annaeus ait, 30

Captus Gallorum spoliis et Caesaris auro

bellum civile Romanae rei publicae perniciosissimum excitavit.
Pecuniae magnitudine factum est, ut Iugurthae parricidia paene 31
impunita dimitterentur. Eriphyla monile aureum saluti coniugis 32
sui Amphiarai praeposuit. Triumvirali proscriptione ultra ceteras 33
tragoedias etiam in feminas ob avaritiam saevitum est. Evolve 34
omnium gentium historias et tot fere pecunia, quot armis oppida
expugnata invenies; unde illud egregie dictum est nullum esse
locum inexpugnabilem, in quem asinus auro onustus pervenire
posset. Multi dominos suos tradiderunt. Ioannes Hluceus ingentem 35
a Mathia Pannonio mercedem pactus Wladislaum regem, cuius
etiam consilii particeps erat, primo vivum capere, sin id parum
ex sententia procederet, gladio saltem aut veneno exstinguere vo-
luit. Possem alia quoque domestica exempla proferre, sed nolo 36
scelera nostra ab aliis gentibus me auctore cognosci atque uti-
nam tam parva essent, ut possint ullis artibus contegi aut dissi-
mulari, utinam, inquam, liceret talium parricidiorum memoriam
prorsus abolere. Sed vincit turpido facinoris consilia nostra 37
neque nos solum, sed etiam posteri nostri infamiam nefandae
audaciae luent.

Omitto periuria, fraudes, falsa testimonia, nummos adulteri- 38
nos atque signa; praetereo percussores, sicarios et piraticam aut
latrocinia exercentes. Inventi sunt, qui patriam parentesque ob 39
immensam auri sitim prodiderunt. Nonnulli regum senatusque con-
silia hostibus denuntiaverunt. Quidam exercitus totos in perniciem
ducis largitione corruperunt. Vix dici potest, quot principes po-
pulosque hoc pessum dedit. Hoc idem ex medicis veneficos, ex 40
advocatis praevaricatores causarum facit, hoc oculos iudicum ex-
caecat. Verum profecto est illud, quod unus ex sapientibus di- 41
cebat, ut aurum cotibus, ita mentes hominum auro examinari et
probari.

Converte te, quocunque vis, et passim audies voces civium, 42
viduarum, pupillorum se opprimi et spoliari a tyrannis querentium.
Ex hoc numero multi etiam sordidissimum quaestum non refor- 43
midant. Vespasianus unus ex laudatis imperatoribus lotii vectigal 44
commentus est. Idem rapacissimos quosque procuratorum et, qui 45
minime ab iniuria temperaturi videbantur, ad amplissima promo-
vebat officia, locupletiores deinde factos condemnabat; ita non
solum lucrum consequebatur, sed etiam popularem gratiam, quod
in homines nocentes tam graviter severeque animadverteret. Caro- 46
lum Belgarum ducem urbes a se obsessas fama est tum maxima
atque atrocissima oppugnatione adoriri solitum, cum militibus sti-
pendium esset persolvendum, quo scilicet pluribus in eo certamine
interfectis minus erogaret, minime hac in re Scipionem imitantem,

qui se aiebat malle unum civem servare quam mille hostes occi-
dere. Iudas magistrum, dominum salvatoremque suum triginta 47
argenteis vendidit. Neque hoc tempore desunt ecclesiastici, apud 48
quos omnia venalia sunt et qui, tanquam reges Parthorum essent,
neminem ad se sine munere admittunt. Non auderem haec attingere, 49
nisi scirem multorum iam litteris id memoriae mandatum esse et
nuper Baptista Carmelitanae religionis sectator luculento carmine
cecinit. Exclamat Flaccus: 50

> O cives, cives, quaerenda pecunia primum,
> Virtus post nummos.

Hoc quasi Delphicum oraculum a parentibus liberis inculcatur, 51
hoc post alpha et beta discitur, hoc cum ipso paene matris lacte
bibitur; et miramur omnium fere terrarum orbem hac mortifera
lue infectum? Interrogatus quidam, cur aurum palleret, Quia, in- 52
quit, multos insidiatores habet. Id nos alio mutemus eloquio, 53
quando et ipsi non prohibemur cavillo uti, et dicamus ideo fortasse
Hebraeos magna ex parte pallere, quoniam fenori student et auro
insidiantur.

Scio multa adversus haec dici posse, neque enim percuniam 54
malorum, quae enumeravi, causam esse, sed perversam eorum avi-
ditatem, qui pecuniae gratia omnia faciunt. Quemadmodum enim 55
inopi minime paupertas prodest, si in egestate constitutus peccare
non timet, ita neque opulento divitiae obsunt, si his bene utitur.
Fuisse etiam plerosque locupletes, quibus pietatis innocentiaeque 56
summa cura erat. Ego vero, si qui tales divinitus fortasse illu- 57
strati fuerunt, itá eos divitias possedisse arbitror, ut audirent ma-
gis suas esse, quam scirent. Ceterum, ut stultum est aut mare 58
vorticosum, quod innumerabilia navigia absorpsit, navigare aut ire
per loca, in quibus multi a praedonibus capti sunt, ita in hac via,
in quam totus terrarum orbis foede misereque quottidie labitur,
incedere et periculosum et ab homine prudente prorsus alienum
existimo, nisi quis Salomonem forsitan sapientia antecedit, quem
quidem ego ob hoc solum adeo turpiter corruisse crediderim, quod
inter opes deliciasque assidue versabatur. Plato certe, quem Graeci 59
de caelo missum putant, negat quemquam simul valde divitem
et probum esse posse. Apostolus Paulus, Qui, inquit, volunt di- 60
vites fieri, incidunt in muscipulam diaboli, et Dominus in evan-
gelio, Facilius est, inquit, camelum per foramen acus transire quam
divitem in regnum caelorum. Qui etiam discipulos suos, quo ex- 61
peditius ad caelestia et incorruptibilia tendant, prohibuit aurum et
argentum possidere, ut iam, si quis speret se opibus et virtuti si-
mul posse servire, nihil aliud mihi conari videatur, quam ut iuxta
comici sententiam cum sapientia insaniat. Dura haec sunt et a 62
consuetudine hominum abhorrent; neque fortassis desunt, qui non
putant oportere tam vehementer adversus divitias causam agere,
quae et voluptates pariunt et celebres honoratosque in populis
reddunt, cetera denique, quae vulgo expetuntur, afferunt. In litte- 63

rarum etiam studiis eius, qui de lodice paranda sollicitus est, in-
genium efflorescere minime posse. Sacerdotes item Aegyptiorum 64
scribit Aristoteles tum demum philosophiae incumbere solitos, ubi
vitae necessaria acquisiverunt. Ego vero neque inveteratum erro- 65
rem sapienti spectandum censeo neque populum ducem actionum
nostrarum esse debere reor. Dementis enim est, ut ille ait, quos 66
singulos contemnas, eos universos aliquid esse putare; quae au-
tem obiiciuntur, ea perfacile refelli possunt.

Voluptatem enim omnes, qui non more pecudum se omnino 67
in terram prosternunt, et detestantur et spernunt; neque quis-
quam domi militaeque clarus fuit, qui se talibus illecebris dedidit.
Cenabat apud Pyrrhum Fabricius et, cum, ut fit, variis de rebus 68
sermo ortus esset, Cineas unus ex convivis narrabat esse quos-
dam philosophos, qui omnia voluptate metirentur, neque sapien-
tem aut ad curam rei publicae accessurum aut quicquam aliud
acturum, praeterquam eius gratia. Ad hunc Fabricius, Vellem, in- 69
quit, ut id Pyrrho Epirotisque, dum nobiscum bellum gerunt, per-
suadeas, quo facilius a nobis vinci possent. Archytas Tarentinus 70
nullam pestem voluptate capitaliorem hominibus a natura datam
existimabat. Neque enim, ubi illa dominatur, virtutem dignitatem 71
suam retinere posse et hominem aliqua magna et exquisita volup-
tate incitatum nihil ratione agere, nihil eximium cogitare aiebat,
ut iam vel ob hoc solum, quoniam parens libidinum et delicia-
rum est, opulentia vitanda sit. Possent hic adduci ea, quibus 72
Stoici Peripateticique Epicureos insectantur. Sed nolo spinosiora 73
congerere, quando licet pingui, ut dicitur, Minerva agere. Nam 74
divitibus ne voluptas quidem solida unquam contingit. Quid enim
iucundum aut suave in vita tam anxia molestaque atque formi-
dolosa esse potest? Quietem primum et otium ne sperare quidem 75
audent, praescribunt villicis officia, partiuntur inter familiam ope-
ras, hos messi, vindemiae faenisicioque praeficiunt, illos penum hor-
reaque curare iubent, haec somno experrectos excipiunt, haec cu-
bitum euntes comitantur. Si dormiunt, servorum insidias metuunt, 76
si peregre vadunt, latronis imaginantur occursum; dum comedunt,
omnes cibos toxico infectos suspicantur; inter loquendum veren-
tur, ne quid illis per imprudentiam effluat, quod inimicis calum-
niae occasionem praestet. Accersiti a suis principibus trepidant tan- 77
quam mox rei laesae maiestatis futuri, paulo blandius salutati ali-
quid a se exspectari putant et, quemadmodum Plautinus ille Eu-
clio, non id hominum in se benivolentiae, sed auri plenae, ut ille
appellat, aulae tribuunt.

Quid, quod satietas et copia voluptatibus gratiam adimit? Ple- 78
raque vilia rarus eorum usus accepta facit. Darius, cum in fuga 79
aquam turbidam et cadaveribus inquinatam hausisset, Nihil unquam,
inquit, iucundius bibi. Quod fortasse propterea evenit, quoniam 80
nunquam antea sitiens biberat. Artaxerses, cum direptis iam impe- 81
dimentis in fugam versus siccis ficis et hordeaceo pane vescere-
tur, Huiusmodi, inquit, voluptatis rudis eram. Peragrabat Ptole- 82

maeus Aegyptum et comitibus eum consequi nequeuntibus cibarium
panem in quadam casa oblatum avide voravit negavitque se quic-
quam suavius comedisse. Ipse voluptatis assertor Epicurus adeo 83
eam arctis finibus terminat, ut vel pauperrimo cuique in propa-
tulo sit; non olet quidem pauper unguenta exotica neque in pur-
purea culcitra dormit neque vina ex alieno advecta orbe bibit ne-
que noctes puellarum tanta mercede, quantam in legione tribuni
accipiunt, emit.

At tandem nihil tibi videntur dulces

sub arbore somni

et vivi

lacus et frigida Tempe,

ut ait poeta maximus, et, quod potissimum est,

secura quies et nescia fallere vita?

Quae ego tanti facio, ut talibus voluptatibus ne Crassi quidem di- 85
vitias anteposuerim. Propter haec forte Diogenes Cynicus se Per- 86
sarum rege fortunatiorem aiebat: sibi enim nihil deesse, illi nihil
satis unquam fore; se voluptates eius, quibus is expleri non pos-
set, minime cupere, illum autem suas consequi nullo modo posse.
Apud Xenophontem Hieron cum Simonide de tyrannide disputans 87
omne, quod auribus, oculis ceterisque corporeis sensibus suave
est, et cumulatius privatis inopibusque quam tyrannis obvenire et
firmius haerere contendit. Iam vero, si qui divitum fraudibus et 88
iniuriis aliorum ineluibiles, ut Firmiani verbis utar, sibi maculas
inusserunt, quin extreme miseri sint, nulla unquam voluptas efficiet,
nempe,

quos diri conscia facti
Mens habet attonitos et surdo verbere caedit
Occultum quatiens animo

die ac nocte

tortore flagellum,

ut ait Iuvenalis. Quicquid enim agunt, suis vexantur fraudibus, 89
suis flagitiis sceleribusque torquentur et exagitantur et, ut quae-
dam furiae, sic, quocunque vadunt, suae eos sequuntur iniuriae
atque adeo, ut ne respirare quidem libere aliquando possint.
Hoc etsi quisque suo sensu accipit, ego tamen illis, qui iudicio- 90
rum severitatem metuunt et ad nomen legum pallent atque ex-
animantur, omnes epulas inamarescere constanter affirmaverim.

Docui abunde, ut mihi videtur, non oportere inter divitias vo- 91
luptatem quaeri. Nunc adversus eos agendum est, qui gloriam et 92
claritatem ex his petunt, quoniam a rudi plebe hoc tempore im-
primis divites honorantur. Quid hic aliud dicam, nisi quod paulo 93
ante commemoravi, populum non esse bonum vitae magistrum?
Neque enim, si quid vulgus admiratur, id continuo etiam sapien- 94
tes probant. Immo pleraque, quae apud reliquas nationes in ho-

nore sunt, nos prorsus et ridicula et contemnenda censemus. Ae- 95
thiopibus scribit Diodorus hunc morem esse, ut regibus mortuis
amici eorum sibi mortem consciscant. Id nemo principum nostro-
rum a nobis requirit. Indi, ut ferme omnes barbari, multis uxori- 96
bus utuntur et, quae a marito maxime amatur, ea se in illius ex-
stincti rogum iniicit. Quis nostrum adeo desipit, ut hanc fidem ab
uxore exigat? Est apud Herodotum quosdam Scythiae populos ex 97
pellibus hostium corporibus detractis mantilia conficere et, ut quis-
que plurima huiusmodi mantilia habet, ita praestantissimum iudi-
cari. Hoc decus qui sibi expetat, neminem adhuc vidi. Legimus apud 98
Indos et Massagetas pium esse parentum carnibus vesci, quam ta-
men pietatem quis nostrum non extreme impiam dixerit? Virgines 99
Cyprias memoriae proditum est, cum nubere vellent, omnibus po-
testate corporis sui facta dotem quaesivisse et virginitatis suae pri-
mitias Veneri obtulisse. Hanc religionem si quis introducere tem- 100
pestate nostra tentaret, non tantum sibilis et risu exploderetur, sed
etiam telis et lapidibus obrueretur. Priscis Graecis latrocinia exer- 101
cere honestum fuisse Thucydides auctor est; neque aetate nostra
gentes desunt, apud quas temulentia et bibacitas laudi datur. Quis 102
tamen sanae mentis se propterea aut latronem aut ebrium vellet?
Quae ideo a me relata sunt, ne quis popularem plausum magn- 103
opere quaerat et ab imperita multitudine exspectet gloriam, quae,
ut ait Cicero, laus bonorum est incorrupte de alicuius excellente
virtute iudicantium. Vulgus autem et facile corrumpitur et virtutem 104
vix somniando cognoscit.

Divitiae praeterea non sunt huiusmodi, ut his virtutis honor 105
debeatur, nempe quae neminem modestiorem iustioremve faciunt.
Quod, si posito contentionis studio rem ipsam diligenter intueri 106
velis, nihil aliud erit dives et avarus, nisi scopulus quidam omni
odio invidiae obnoxius, unde et illud Flacci est:

populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul et nummos contemplor in arca.

Quin ipsi nonnunquam filii parentibus avaris mortem imprecantur 107
et iam tritum sermone proverbium est avaros tum demum bonos
esse, cum moriuntur.

Ceterum ii nihil interesse putant, quomodocunque quis in ore 108
hominum versetur, quales priscis quoque temporibus plerique fue-
runt, qui famam, quam virtute non potuerunt, scelere consecuti
sunt. Incenderat quidam templum Dianae Ephesiae et, dum inter- 109
rogaretur, quid eum ad hoc impulisset, Ut, inquit, memoriam mei
quam maxime longam efficerem. Et Catonem Uticensem ait Lac- 110
tantius non ideo sibi manus intulisse, quod Caesarem timeret, sed
ut decretis Stoicorum obtemperaret et nomen suum aliquo grandi
facinore clarum redderet. Multos reges scimus notiores libidine at- 111
que crudelitate quam imperio esse, multas item feminas stupra et
adulteria famosas fecerunt, ego tamen neque aut has mulieribus
aut illos viris imitandos censeo et, si fieri aliter non potest, malo

obscurus ingloriusque esse, quam ob morum perversitatem omnium
gentium atque nationum linguis litterisque celebrari. Neque etiam 112
video Curii Fabriciique inopiam minus nominis quam divitias Croesi
habere. Franciscus Asisias pauper Sardanapallo notior est. 113
Nam, quod ad litteras attinet, opes magnae plus impedimenti 114
quam auxilii studiosis afferunt; id, ut alios praeteream, Antisthe-
nes et Crates Thebanus ostenderunt, qui divitias non solum con-
tempserunt, sed etiam abiecerunt neque arbitrabantur se pecuniae
simul et philosophiae vacare posse. Et Iubae regis captivitatem 115
multi ideo felicem putant, quod, dum privatus factus bonis arti-
bus incubuit, clarior deinde litteris quam regno, quod recupera-
verat, evasit. Lactantium, quo nescio an inter Christianos quis- 116
quam eloquentior fuit, scribit Hieronymus adeo pauperem fuisse,
ut plerunque ad victum necessariis indigeret. Plautus linguae La- 117
tinae deliciae operam pistori ad circumagendas molas ob egestatem
locabat. Possem his addere numerosum recentiorum agmen, qui 118
mendicitatis nomine non solum minime erubescebant, sed etiam
gloriabantur, quibus tamen in divinis naturaeque rebus explican-
dis nihil subtilius acriusque est. Certe, si quis verum fateri velit, 119
quam paucissimos inveniet, qui inter divitias nati aliquod nomen
in litteris assecuti sunt. Quod fortassis ideo fit, quoniam curae do- 120
mesticae et voluptates, quae, ut iam dixi, opulentiae comites sunt,
ingenium hominis retardant et hebetant et securitas de honesto victu,
cuius gratia hoc tempore magna ex parte studetur, nescio quo-
modo ignavos reddit.
Atque, ut aliis quoque exemplis, quod institui, doceam, in- 121
opiam Aristidis cognomento Iusti, quem etiam Athenae miraban-
tur, omnis Graeca docet historia. Valerius Publicola et Menenius 122
Agrippa uterque sua tempestate paene princeps Romanae civitatis
adeo pauperes fuerunt, ut plebem necesse fuerit in sumptum fune-
ris eorum stipem conferre. Et, ne privatos tantum loquar, cum Pyr- 123
rhus Romam, quam armis vincere non potuit, auro muneribusque
aggressus esset, nulla domus reperta est, quae regiae largitioni 124
pateret. Quin etiam corruptiori iam saeculo Marcus Cicero non du-
bitavit scribere nihil esse tam angusti animi tamque parvi, quam
amare divitias, nihil honestius magnificentiusque, quam contem-
nere pecuniam, si non habeas, si habeas, ad liberalitatem bene-
ficentiamque conferre.
Quodsi Christianorum continentiam referre et fulmina, qui- 125
bus in avaritiam detonant, torquere velim, multo longius prove-
herer, quam ab initio proposui. Sed satis sit haec breviter adver- 126
sus eos perstrinxisse, qui prae divitiis divina humanaque asper-
nantur neque ullum honori aut virtuti locum esse putant, nisi ma-
gnae res affluant. Si cui autem acrius, quam par est, hanc provin- 127
ciam obire videor, remittat ipse aliquid ex avaritia et cupiditate
metiaturque eam his, quibus vescimur amicimurque, aut, si quid
aliud est, quo vita nostra commode carere non potest. Et ego quo- 128
que minime omnia ad vivum resecabo. Nam et Dominus non facul- 129

tatibus, sed spiritu pauperes beatos vocat. Salomon quoque non minus mendicitatem quam divitias perhorrescit. Ceterum, si in sententia permanebit, dicam ei illud Menandri divitias se inspicientes caecos facere, aut, si quid durius audire potest, meminerit, quibus verbis Petrus apostolus Simonem magum pecuniae confidentem obiurgaverit. Vale.

---

## III. — DE FELICITATE

### FRAGMENTUM

Divitias ingentes plurimi maiorem in modum admirantur et non 1
solum felicitatem, sed vitam quoque hanc nostram sine his paene
nullam existimant. Quae opinio cum sit letalis et perniciosa, adeo 2
tamen in animis vulgi invaluit, ut nihil audire aut velit aut possit.
Nam, si quis adversus eam quippiam tentet, mox omnium et suf- 3
fragiis condemnatur et sibilis exploditur. Modestiores sane in hac 4
re plerique ex Peripateticis sunt, qui, etsi divitiis nonnihil tribuunt,
vitam tamen beatam sola virtute effici posse confitentur.

Ego vero affirmaverim divitias non tantum libidinum vitiorum- 5
que omnium, verum etiam calamitatum atque miseriarum fontem
et originem esse neque improbabili, ut mihi videtur, ratione, si quis
saltem haec nostra iudicio libero et nequaquam contentionis cer-
taminisque avido evolverit. Difficile quidem est id, quod polliceor, 6
praestare propter eorum multitudinem, qui pecuniam ante omnia
quaerendam esse simul cum ipso matris lacte hauserint; erit tamen
operae pretium errori, quo mortales imprimis laborant, pro viribus
obviam ire et inveteratas has cupiditatum sentes, quae prorsus ex-
stirpari et ex animo evelli non possunt, saltem temperare et ad
modum mensuramque reducere, ut scilicet contenti mediocribus
facultatibus et his, quae ad usum domesticum sufficiunt, quicquid
superfluit, neque appetendum neque numerandum iudicent. Pauper 7
etiam, cui necessaria quoque minime contingunt, ne propterea de-
speret, utpote facilius et beatius iter ad beatitudinem nactus, si tamen
contemptis his, quae fortuna, ut dare, ita et auferre potest, se ipsum
expendet et, ad quid natus sit, diligenter studioseque considerabit.

Sed, quoniam nostra oratio circa hoc potissimum versabitur, 8
ut ostenderemus neque divitias ad felicitatem conferre neque pau-
pertatem impedimento esse, libet attingere philosophorum de summo
bono sententias, non omnes, — id enim paene infinitum esset, —
sed potiores, docereque, quicquid ex his tibi delegeris, nullum ad
id consequendum in divitiis praesidium esse.

Herillus omnia ad scientiam refert, qui etsi perpaucos asti- 9
pulatores habet, concedamus tamen hoc ei, quando plerosque magni
nominis viros scientiae gratia longe lateque peregrinatos novimus
et totam aetatem in exquirendis occultis naturae causis traduxisse.

Num tandem dives aliquis profunde acuteque cogitare poterit et
aut Anaxagorae homoeomeriam scrutari aut Platonis investigare 10
numeros, qui villicos familiamque obstrepentem assiduo audit?
Cogitur hos messi, vindemiae faenisicioque praeficere, illorum neg- 11
ligentia, importunitate furtisque offendi, circa penum horreaque ex-
igere nomina rationesque. Inter hasne sollicitudines ullum enite- 12
scet ingenium? Multis ait Annaeus Seneca ad philosophandum ob- 13
stitisse divitias. Has Democritus non solum contempsisse dicitur, 14
sed etiam oculos sibi effodisse, ne per visum earum a rerum laten-
tium contemplatione avocaretur. Plato etiam unica villa eademque 15
et deserta et pestilente delectatus est, ut videlicet libidinis impetu
assiduis aegritudinibus fracto commodius philosophiae incumbere
posset atque ut discipuli sui nullam praeter aurium voluptatem
sentirent. Crates inter Thebanos proceres et dives et nobilis ma- 16
gnum auri pondus in mare proiecit. Neque enim putaverunt summi
hi viri se et sapientiae et rei familiari simul vacare posse. Hoc eodem 17
animo gravissimi quique philosophorum fuerunt. Xenocrates et Alex-
andri et Antipatri munera aspernatus est. Idem erat Diogeni Cynico 18
pera, quod regibus diadema, qui veluti certabundus cum illis de
veritate regni baculo vice sceptri gloriabatur. Apuleius non incele- 19
bris Platonicus gaudet sibi ab accusatore obiici paupertatem, crimen,
ut ipse ait, et acceptum philosopho et ultro profitendum. Ipse innu- 20
meros vidi non tantum bonarum artium studiosos, sed etiam mira-
bili natura acerrimoque praeditos ingenio, quoniam locupletes
erant, semper in imo haesisse. Neque enim hoc genus hominum
unquam ad frugem alicuius excellentis doctrinae pervenire potest; 21
si qui tamen in tanto doctorum numero opulenti fuerunt, quibus
fortasse

meliore luto finxit praecordia Titan,

hi ita possidebant divitias, ut magis audirent suas esse, quam sci- 22
rent. Contra autem multi ex magnis deiecti fortunis in litteris clari 23
evaserunt. Iubam regem captivitas ex immundo et barbaro cele- 24
berrimum sriptorem reddidit. Et, ne semper vetera et nimium obso-
leta loquar, quid tandem aliud Thomam Aquinatem, nisi amissio
patris et patriae vastitas, ad summum et philosophiae et Christi- 25
anae theologiae culmen perduxit? Taceo inopem illam doctorum
turbam, quae se voto quoque ad paupertatem tolerandam obliga-
vit, quando ipsos pictores, architectos, statuarios, marmorum sculp-
tores ceterosque id genus inopia atque venter magister artis, ut ait
Persius, ingeniique largitor claros fecerit, nisi putemus Polycletum,
Apellem, Democratem, Lysippum inter opes deliciasque educatos
ad tantam peritiam suarum artium pervenire potuisse...

## IV. — DE PHILOSOPHORUM NUGIS

Non ignoro philosophos magnae auctoritatis apud veteres fu- 1
isse et, quia se duces vitae atque magistros morum profitebantur
et quia is demum beate vivere posse atque humanarum divinarum-
que rerum habere cognitionem putabatur, qui se ad eorum stu-
dium contulisset; an autem, quod tam arroganter pollicebantur,
etiam praestiterint, videamus.

Nobilissimus Peripateticorum Aristoteles docet mundum sem- 2
per fuisse, Democritus fingit casu ex concursu atomorum factum,
Leucippus infinitos mundos somniat; quicquid horum trium admi-
seris, necesse est religio nostra funditus corruat. Quid enim homini 3
Christiano exploratius est, quam et mundum unum esse et non
casu ex atomis, ut ille delirat, sed a Deo summa providentia ex
nihilo conditum? Nullum deum esse Diagoras et Theodorus asse- 4
tunt, Epicurus esse quidem, sed mortalia non curare. Cur ergo 5
ram pie religioseque colitur? Quid sibi tot caerimoniae a maio-
ribus nostris institutae volunt? Furemur, rapiamus, quotiens id 6
occulte facere poterimus, exerceamus adulteria, latrocinia, sacri-
legia. nihil nos a scelere deterreat. Neque enim poenas legum vere- 7
bimur, cum nemo conscius aderit, neque Dei vindictam, qui mor-
talia minime curat

Nec bene promeritis capitur nec tangitur ira,

ut ait Lucretius. Quid de Dicaearcho atque aliis dicam, qui ani- 8
mas nostras cum corpere simul interituras affirmant? Quoniam, si 9
res ita se habet, stulti profecto nos sumus, qui aliam nobis vitam
promittimus et sedes piorum ab impiis distinctas atque unicui-
que digna operum suorum praemia reddi. Pythagoras tradit ani- 10
mas ex uno corpore in aliud migrare, Plato etiam in animalia bruta
transferri, quorum scilicet naturam, dum adhuc in vita essent, imi-
tatae fuerunt. Sed hic sermo philosophone potius quam alicui deli- 11
crae aniculae conveniat, iudicent amatores eorum. Iubent nos sa- 12
crae litterae carnis illecebras tanquam virtutis inimicas omni cura
operaque domare; at Aristippus Cyrenaicus omnes res homini expe-
tendas voluptate corporis metitur. Quam dementiam secutus Epi- 13
curus, Nihil, inquit, habeo, quod bonum intelligam, si saporum volup-
tates et quae ex venereis constant et quae auribus percipiuntur
quaeque ex formae venustate blandiuntur, oculis auferam. Permit- 14
tamus ergo frena libidinibus, versemur assidue in popinis et lupa-
naribus! Nam tanto quisque felicitati et summo bono propin-
quior erit, quanto se voluptatum caeno profundius immerget. Lau- 15
dat idem Plato matrimoniorum communem usum et nudorum iuve-
num atque puellarum exercitationes; dignus certe praeceptor, cui
adolescentes erudiendos tradamus, ut discant ad unam mulierem
tanquam canes concurrere et deficientes libidines formosorum cor-
porum aspectu atque contrectatione excitare. Iam vero Zenon Atti- 16

cus eo insaniae processit, ut omnia peccata dicat paria esse neque
quicquam referre, gallumne gallinacium sine causa an patrem inter-
feceris. Quo quid ineptius cogitari potest? Quid loquar de aliis, 17
quorum primus Thales magneti lapidi animam tribuit. Anaxagoras
caelum ait ex lapidibus compositum esse. Posidonius solem, cum 18
Oceano mergitur, prodit ingentem edere strepitum. Democritus aves 19
nominat, quarum sanguine confuso serpens gignitur, quem qui ede-
rit, intellecturus sit avium colloquia. Xenophanes in concavo lunae 20
alium orbem collocat Academici omnia aiunt incerta esse. Dies 21
me profecto citius quam oratio deficeret, si omnes philosophorum
nugas commemorare velim, ut mihi verissimum videatur, quod ait
Cicero nihil tam absurde dici posse, quod non dicatur ab aliquo
philosophorum.

BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS

# ORATIO AD ARGENTINENSES
## IN GENERE DEMOSTRATIVO
## PRO PETRO SCHOTTO ARGENTINENSI

Nihil utilius et commodius rei publicae vestrae arbitror, o viri 1
Argentinenses, quam eos, qui doctrinae atque virtuti ab infantia
studuerunt, laudibus celebrari. Huiuscemodi enim re non solum 2
probi meliores et ad virtutem propensiores efficiuntur, sed etiam
improbi deterrentur nonnunquam a scelere et veluti stimulis qui-
busdam ad verae gloriae cupiditatem incitantur. Quod eo magis 3
in praesentia mihi accidere posse videtur, quia non de externi ali-
cuius vobisque incogniti laude, sed de civis vestri, qui in hac urbe
natus est, incredibili divinaque virtute dicturus sum. Nec erit neces- 4
se iuventuti vestrae aliunde virtutis exempla petere, sed coaeta-
neum duntaxat suum, cum quo et alti et eruditi sunt, sequi atque
imitari. Ego me Hercule, o viri Argentinenses, non magnopere in 5
hac insolita mihi dicendi consuetudine perturbor, non quo aliquam
ingenii et eloquentiae vim in me esse credam, verum quia huius-
modi mihi causa oblata est, in qua nulli oratio deesse posset.
Quocirca audite me de laudibus Petri vestri disserentem atque 6
benigne audite. Nam, si unquam de acutissimo ingenio, singulari 7
doctrina, praecipua atque admirabili virtute audivistis, id profecto
vobis hoc tempore facere licet.

Petrus igitur in hac urbe natus est, quam in tanta vestra fre- 8
quentia, o viri Argentinenses, non audeo dignis praeconiis efferre,
ne forte plerique vestrum me aliter, atque sentio, loqui existiment.
Illud solummodo dixerim hanc civitatem vestram ducibus, militi- 9
bus, artium praestantia, ingeniorum claritatibus, salubritate caeli
atque temperie, benignorum ventorum afflatu omnibus vicinis gen-
tibus et nationibus antecellere atque praestare. His accedit aqua- 10
rum copia, nemorum amoenitas, innocentia ferorum animalium,
fertilitas soli, pabuli ubertas, fruges, vinum. Itaque non sine di- 11
vino consilio mihi factum videtur, ut clarissimo homini urbs cla-
rissima patria esset. Nec enim illorum sententiam probo, qui nihil 12
distare asserunt, quocunque loco quis nascatur, nisi forsitan stul-
tum Platonem dicere velimus eo, quod naturae gratias egit, quia
Atheniensis esset et non Thebanus. Pater Petri vir summi con- 13
silii atque industriae omnibus vobis notus, cuius quanta cura atque
sollicitudo in dignitate vestra tutanda et augenda semper fuerit
nemo vestrum inscius est. Memorare possem, quot labores et 14
vigilias pertulerit, quot ensibus et periculis se pro salute vestra
obiecerit, verum praesentia eius facit, ut modestius de eo loquar,
praesertim cum instituto nostro non admodum conveniat; ut enim
inquit unus ex poetis,

genus et proavos et quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Is filio sibi nato non adhibuit curam iuxta nonnullorum consue- 15
tudinem, ut in deliciis nutriatur, sed ut optimis artibus ornetur,
illustretur, excolatur. Noverat enim prudentissimus homo nullam 16
capitaliorem pestem ipsa voluptate a natura humano generi da-
tam, quippe cum nullum scelus sit, ad quod non libido aliqua
voluptatis impelleret. Sciebat illa pertinacius haerere, quibus tenera 17
rudisque aetas inficitur. Itaque cavit in primis, ne puer his rebus 18
consuescat, quae sibi postea spernendae et contemnendae essent.
Atque, cum ob publicas occupationes minime ea cura atque dili- 19
gentia, qua cupiebat, puerum educare potuisset, tradidit eum in
disciplinam gravissimo atque integerrimo viro Iohanni Muller de
Rasteten, quem ego unicum honestatis specimen, exemplar san-
ctimoniae, speculum virtutis audeo appellare. Is vero extunc nul- 20
lum tempus praetermisit de his rebus, quibus puer ad doctrinam
et virtutem institueretur cogitandi. Erat inter eos certamen quod- 21
dam atque contentio amoris; praeceptor eum tanquam filium di-
ligebat, ille praeceptorem non minus quam parentem venerabatur
et colebat. Haerebat assidue lateri suo et eius sermonibus delecta- 22
batur nihilque ei absque praeceptore iucundum esse poterat. Im-
periis et admonitionibus suis prius, quam emissae forent, parere
nitebatur. Percunctabatur ab eo varias quaestiunculas et plus, 23
quam aetas ferret, acutas; quo fiebat, ut quottidie illius amorem
in se magis ac magis alliceret.

Postquam autem prima rudimenta et grammaticen in patria 23
didicerat, Parisius cum eo profectus est. Quantum vero illic do- 24
ctrinae brevi consecutus fuerit, incredibile dictu est. Nihil in logica
tam spinosum et contortum erat, quod non explicaret, nihil in phy-
sica tam abditum atque obscurum, quod non clarum et manifestum
disputando efficeret, nihil in ethica tam anceps ac involutum, quod
non apertissime explanaret. Erat enim ei summum ingenium, tena- 26
cissima memoria, sermonis mira suavitas. Itaque et audita facili-
ter percipiebat et percepta fideliter retinebat et retenta elegantis-
sime pronuntiabat. Eminebat inter aequales et condiscipulos et 27
suo studio eos mirabiliter incitabat, nec tamen idcirco eis minus
gratus et iucundus erat, sed gloria, ut dicitur, invidiam supera-
vit et, quanquam inter illos aliquando variae simultates et discor-
diae fuissent, eum tamen omnes non secus ac fratrem benivolen-
tia complectebantur. Laudatus nunquam animo intumuit; eos, qui 28
tardiores ingenio essent, non contempsit, de alterius invento non
minus quam de suo proprio gaudebat adeoque sibi eos hac sua
modestia devinxit, ut nemo his ex eo tempore carior fuerit. Quid 29
dicam de illius gymnasii principibus, qui omnes eum singulari
affectu prosequebantur? Persuaserunt enim sibi hanc eius prae- 30
claram indolem non solum ipsi, sed etiam studio eorum laudi et
honori futuram. Itaque in suam quoque gloriam eum peculiariter
fovebant nihil obmittentes ex his, quae ad eum erudiendum atque

expoliendum spectare viderentur. Quid plura? Ita se gessit, ut, 31
quod antea inauditum fuerat, inter tot homines vita et moribus
prorsus dispares vivens omnibus gratus atque acceptus esset.
Nihil in eo erat leve, nihil petulans, nihil immodestum et existens 32
puer senilem sapientiam prae se ferebat nec solum, quod liceret,
sed etiam, quod honestum esset, advertebat. Multa, quae ab illa 33
aetate non nimium abhorrebant, quia tamen aliquando deserenda
essent, a se penitus abdicavit. Noverat tritum esse apud sapientes 34
proverbium omnia illa, quae in pueritia praesumuntur, adolescen-
tiae acquiri; idcirco voluit animum suum in teneris annis his mo-
ribus imbui, qui sibi non modo in pueritia, verum etiam in se-
nectute utiles esse possent.

Appropinquabat iam tempus, ut aliquod lucubrationum atque 35
laborum praemium capiat. Fuisset enim vehementer iniquum, si is, 36
qui ob studium sapientiae universis voluptatibus renuntiavit, nullo
prorsus honoris insigni decoraretur, et qui ob discendi cupiditatem
in exsilio esse, in pulvere sedere, multa adversa pati maluit quam
domesticis frui deliciis, eum nullum laudis emolimentum inde repor-
tare. Incredibili igitur voluntate atque consensu omnium magistro- 37
rum decretum est, ut in dignitatem baccalauriatus evehatur. Sed, 38
ne quid praeter eius academiae consuetudinem agant, variis argu-
mentis et his quidem inextricabilibus eum adorti sunt; a quibus
ipse adeo se argute atque subtiliter tutatus est, ut iam non tiro
in artibus liberalibus, sed veteranus plane et emeritus videretur.
Itaque non solum baccalaurius factus, sed etiam omnibus nati- 39
onis suae hominibus eorum gravissimo et maximo testimonio in
doctrina antelatus est.

Gaudeo maiorem in modum, o viri Argentinenses, quod aequis- 40
simis animis laudes clarissimi adolescentis vos audire sentio. Haec 41
enim benignitas vestra summam mihi alacritatem in dicendo affert
atque spem, quod cetera quoque placide audietis, praesertim cum
vos ipsi sitis testes eius rei, quam narrare institui. Meministis equi- 42
dem eo Parisii degente, quae fama de illius studiis atque exer-
citationibus apud vos increbruerit. Quanta laus ingenii, quanta 43
morum commendatio erat! Attamen haec omnia hominum exspec-
tatio vincebat. Quid tum postea? Nonne opinionem quoque de 44
se conceptam, ubi reversus est, sua divina virtute superavit? Nonne
famam ipsam de se nimium malignam fuisse probavit? Nonne
omnia in eo meliora et praestantiora inventa sunt, quam exspec-
tarentur? Ibat per urbem omnium oculis in se coniectis Cives reli- 45
qui suos filios ad eius exemplum hortabantur. Gratulabantur patri 46
suo eiusque fortunas uno ore laudabant, quod filium tali ingenio
atque doctrina praeditum haberet, qui senectuti suae aliquando
perfugium et solacium esset, qui maerores suos mitigaret, qui eum
denique laboribus magna ex parte levaret. Ceterum ille prudentis- 47
simus homo, quanquam praesentia filii admodum delectaretur, plus
tamen facere cupiens, quod ex re adolescentis quam quod ex sua
voluptate esset, statuit eum minime a studio sapientiae, cuius desi-
derio tantopere flagraret, retrahere.

Itaque vix tres menses praeteriverant et eum Bononiam alte- 48
ram studiorum nutricem misit. Ubi, cum primo sese poeticae atque 49
oratoriae dedisset, adeo has artes celeriter arripuit, ut omnes in
admirationem sui aduceret. Non solum equidem arcanos poetarum 50
sensus, varias historiae leges, inextricabiles et tortuosas rhetorum
ambages intelligebat et enarrabat, sed etiam in dies elegantissima
poemata componebat et orationes summo artificio edebat. Cuius 51
rei testes sunt plerique vestrum, o viri Argentinenses, in quorum
manus scripta eius devenerunt.
Quali vero stilo et gravitate in scribendo uti soleat, quis est, 52
qui satis digne explicare posset? Non illum varietas rerum con- 53
fusum, non simplicitas fastidientem reddit nec in tenui atque hu-
mili materia exsanguis ac ieiunus est; in copia vero ac magni-
tudine non turgescens ac vastus exit, verum semper citra tumo-
rem plenus et lenis citra mollitiem permanat nec luxuriose effluit
nec nimia sterilitate tabescit, in asperis rebus non salebrosus nec
languens in mollibus, non violenta et coacta oratione subsultans,
non ita tamen copiosus, ut nimius, neque ita suavis, ut lascivus,
neque adeo lenis, ut remissus, non sic tristis, ut horridus, neque
ita simplex, ut nudus, nec ita comptus, ut affectasse compositio-
nem videretur, par verbis materiae, par sententiis rebus. Dies
me profecto deficeret, si omnes orationum suarum virtutes enu-
merare vellem.
Quid de versibus suis loquar? In quibus modo remotas in-
ventiones, modo carminis elegantiam atque suavitatem, modo fa-
bulas atque historias reconditas admirari licet, idque in omni ferme
poematum genere. Non solum enim heroico, sed etiam elego lyrico- 56
que versu plurima cecinit, ex quibus nonnulla ad me perscripsit.
Et, quanquam pro summa eius in me humanitate innumera ab eo 57
beneficia susceperim, illud tamen praecipuum existimaverim, quod
me dignum arbitratus est, quem suo carmine celebraret. Videor 58
equidem mihi per eum immortalitati esse consecratus.
Quid de Graecis litteris loquar, in quibus nihil saltem ex his, 59
quae ad Latinarum cognitionem pertinent, ignorat? O magna fe-
cunditas animi, quae tot res diversas uno tempore comprehendere
atque assequi potuit.
Contulit se demum ad ius civile. At, di boni, quo fervore! 60
qua cupiditate! ut unusquisque facile coniicere potuerit eum ad
summum legum apicem e vestigio perventurum.
Alii otium sibi datum in fabulis, alea et spectaculis consu- 61
mebant et nunc ludo atque deambulationibus, nunc conviviis et
ceteris voluptatibus tempus trahebant; hic semper inter libros
versabatur, hi sibi solacium, hi omnium curarum atque sollicitu-
dinum lenimen erant. Sciebat videlicet tempus rem irrecuperabi- 62
lem esse atque idcirco non in vanitatibus et illecebris, sed in op-
timis potius artibus illud conterebat. Quibus studiis hoc consecu- 63
tus est, ut nullum aenigma in iure civili esset tam obscurum,
nullus nodus tam implicitus, quem non solveret. Quid de suis 64
assiduis exercitationibus loquar? Quippe qui nec convivia ab

huiusmodi disciplinis vacare passus est, semper aliquid sive in
poetica sive in legibus proponebat. Audiebat alios libenter pla- 65
cideque illis respondebat, recte dicta gratissimo animo suscipie-
bat, prava non acriter refutabat, disputantes contra se docere po-
tius quam vincere nitebatur. Malebat aliena verecunde discere 66
quam sua impudenter ingerere. Neque id ob aviditatem popula-
ris aurae et ostentationem, sed ob aedificationem sui faciebat.
Nam huiuscemodi artes per exercitium mirum incrementum capiunt.

Ceterum quanto magis eruditionis gloriam declinabat, tanto 67
eruditior habebatur. Nec enim splendor diu latere potest, quin sua
claritate prodatur. Concurrebant ad eum omnes familiares sui, nunc, 68
qua oratione utendum sit, quaerentes, nunc, quibus argumentis
aliquis oppugnandus sit, investigantes et omnia dicta eius tanquam
Apollinis oracula observabant nec unquam cum eo collocuti sint,
quin doctiores recederent.

Incubuit postremo iuri pontificio, scilicet ut non solum ea, quae 69
ad divitias atque opes consequendas, sed etiam, quae ad animam
salvandam pertinerent, edisceret. Esset enim extremae dementiae 70
ob has fluxas et caducas res tot labores ferre atque ob illud aeter-
num immortaleque gaudium nihil agere. Itaque multo studiosius et 71
diligentius, quam antea fecerat, huic scientiae operam dabat et tanto
celerius eo, quo tendebat, pervenit, hoc est, ad arcana ipsa et pene-
tralia iuris canonici, quae adeo callet, ut nulli alteri scientiae studu-
isse videatur; in his vero, quae prius didicit, adeo tritus est, ut
vix credi posset eum canones unquam attigisse, ex quo profecto
licet vobis magnitudinem eius ingenii atque memoriae cognoscere.

Non possum hoc loco, viri Argentinenses, qui illorum insaniam 72
coarguam, qui negant hominem in his omnibus consummatum et
perfectum fieri posse. Quin immo, inquiunt, potius in nulla prorsus 73
scientia plene quis erudiri atque institui potest, qui se tot invol-
vit atque implicat. Sed dicite, quaeso, boni viri, quaenam ars Eleo 74
Hippiae defuit, qui non modo liberalium disciplinarum scientiam
prae se tulit, sed vestem, anulum et crepidas, quae manu sua fece-
rat, in usu habuit atque ita se praeparavit, ne cuius alterius ope indi-
geret. Gorgias quoque quaerere auditores, de quacunque re vellent, 75
iubebat nec dubitavit profiteri se ad omnia responsurum. In qua 76
tandem arte litteris digna Plato non excelluit? Quid Aristoteles, qui
non solum ea, quae ad philosophos atque oratores pertinent, com-
plexus est, sed animalium satorumque naturas omnes perquisivit?
Cato Censorius idem orator, idem historiae conditor, idem iuris, 77
idem rerum rusticarum peritissimus fuit, inter tot operas militiae,
tantas domi contentiones rudi saeculo litteras Graecas aetate
iam declinata didicit, ut esset hominibus documento ea quoque
percipi posse, quae senes concupissent. Quae tandem doctrina 78
Varroni aut Tullio incognita fuit? Quod, si illi, quibus haec in-
venienda erant, id consequi potuerunt, cur nobis id non liceat,
quibus docendis priores elaborarunt, ut illorum dumtaxat inventa
nobis cognoscenda sint. Habent profecto omnes huiusmodi artes
vinculum quoddam inter se atque cognationem, ut vix una sine

altera cohaereat. Silete ergo aliquando, stultissimi homines, et 80
desinite huius divinum acumen ingenii vestri terminis metiri et po-
tius peritissimorum atque gravissimorum virorum auctoritati, qui
eum in amplissimam dignitatem doctoratus extulerunt, quam vestro
iudicio acquiescite.

Dixi pro tempore quidem multa, pro rei autem qualitate ni- 81
mium pauca de studio et doctrina sua; nunc aliqua de moribus
eius mihi recensenda sunt. Quid enim de incredibili eius in Deum 82
immortalem religione, quid de pietate in parentes et sorores lo-
quar? Quos omnes adeo colit atque observat, ut ne minimo qui-
dem verbo eos unquam offenderit, nunquam cum eis in gratiam
redierit, nunquam cum sororibus in aliqua simultate fuerit. Equi- 83
dem nefas ducit his irasci, quos amare deberet, nec id a na-
tura solum, sed a doctrina etiam habet. Nam praecepta philo-
sophorum ita memoria tenet, ut his non ad ostentationem, sed
ad vitae cultum utatur. Quid dicam de sua in amicos observan- 84
tia? Quos adeo sibi moribus suis obligavit, ut haud facile dis-
cernas, plusne eum ament an venerentur. Ita equidem comitate 85
severitatem, ita facilitate gravitatem temperavit, ut optimo cuique
merito carissimus esset. Quae vero sit eius tum in omni vita, 86
tum praecipue in cibo et potu moderatio, vel ex eo apparet, quod
in Italia, ubi etiam indigenae quandoque aeris intemperantiam vix
tolerant, adeo prospera valitudine usus sit, ut nunquam aegrota-
verit, nunquam aliquo corporis dolore affectus fuerit. Quid de sua 87
prudentia et in rebus agendis industria loquar? Quae tanta est,
ut nihil eum fugiat ex his, quae ad vitae humanae institutionem
atque gubernationem pertinent. Noverat enim erubescendum his 88
esse, qui ita se litteris abdunt, ut nihil afferre ad utilitatem publi-
cam aut velint aut sciant; quocirca non solum litteras, sed etiam
hominum negotia et consuetudines, sine quibus litterae modici
fructus sunt, sibi perdiscendas existimavit.

Quid nunc de sua reliqua integerrima vita, singulari modestia, 89
summa fide, continentia innocentiaque referam? Dies me profecto
deficiet, si singula persequi voluero. Equidem, viri Argentinenses, 90
quanquam multa legerim, multa audiverim, nonnulla etiam vide-
rim, nunquam tamen aliquem hac aetate his disciplinis ornatum,
his moribus praeditum, his virtutibus delibutum cognovi.

Quae cum ita sint, viri Argentinenses, non in ultimis laudum civitatis vestrae iudicate, quod hunc civem peperit; si enim aliquae urbes virum in una re excellentem genuisse magnum quid arbitrantur, quid huic faciendum erit, quae hunc virum in omni doctrina eminentem genuit? Quodsi ob virtutem et probitatem eos saepe, quos nunquam vidistis, diligere cogimini, hunc, quem praesentem intuemini, cuius mentem sensusque et os cernitis, quibus laudibus extolletis, quibus studiis prosequemini, qua benivolentia complectemini?

## BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS

# MEMORIA ALEXANDRI DE IMOLA

Anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sep- 1
timo die secunda Septembris in nocte mortuus est excellentissimus legum monarcha dominus Alexander de Tartaginis de Imola cum magno scholarium et universi populi Bononiensis dolore et solemni pompa in ecclesiam sancti Dominici delatus ibi sepultus iacet, cuius anima requiescat in pace. Natus annos LIII obiit ex febribus. XXI. anno aetatis doctor legum factus residuos XXXII 2
annos in legendo docendoque Ferrariae, Patavii et praecipue Bononiae non sine summa gloria transegit.

Epitaphia plurima sepulchro suo affixa sunt, inter quae haec 3
annotatu digniora videbantur:

Quid defles, mortale genus, mea funera? Quid tu
  Incusas lachrimis fata severa meis?
Nonne tibi iuris sensus utriusque retectos
  Noscere maiores, qui latuere, sat est?
Desine, nam vivo, volui qua vivere parte;
  Qui prius unus eram, nunc modo trinus ero.
Nam mea diversum discurrit fama per orbem;
  Nunc in me nihilum lurida turba valet.
At meus exultat caelesti spiritus aula;
  Sentio pro meritis praemia digna meis.
Hocque situm est tumulo nostri quota portio corpus.
  Gloria Tartagini nominis unus eram.

Aliud.

Ingenio solvit nodos et acumina legum,
  Consilio gentes composuitque suo.
Ille hic Alexander situs est, cui digna merenti
  Perpetuo nomen fama perenne dedit.

Aliud.

Magnus Alexander toti iam cognitus orbi
  Tartaginae gentis carus alumnus eram.
Qui docui leges et legum solvere nodos
  Nuncque decus legum docta per ora volo.
Aequavi regis laudes, dum iura revolvo;
  Armis hic victor, legibus ipse fui.
Nunc animam superi servant, haec marmora corpus
  Et me vix totum bibliotheca capit.

### Aliud.

Clarus Alexander pretioso marmore tectus
  Hic iaceo patriae gloria magna meae.
Ambiguas docui leges et iura Quiritum
  Ac virtute mea notus ubique fui.
Haec mihi conanti Stygiis egressa tenebris
  Iniecit rigidas Mors inopina manus
Corporeosque truci dissolvit febre meatus,
  Sed meus aethereo spiritus orbe manet,
Scriptaque nostra volant totum sine fine per orbem.
  Aspice, pro meritis praemia quanta fero.

# LOCI LAUDATI.

I. DE MISERIA HUMANA. 2. Plinius: *Nat. hist.* VII *praef. 3.* — 3. perhibent: *ibid.* VII *72.* — 9. Plautus: *Asin. 34* — 25. dictum est: *Plut. Cato mai. 9* — 32. Paulus: *Philipp. 3, 9* — 35. Hieronymus: *Adv. Iovinian.* II *10 (p. 340 A Migne, p. 410 Bickel)* — 36. Plato: *Epist.* VII *326 B. Cic. Tusc.* V *100* — 39. Aeneas *(Silvius)*: *In libros Ant. Panormitae commentarius l.* I. *c. 41* — 41. Chares: *FrGrHist 125 F 19 b Jacoby, Plut. Alex. 70* — 45. Aristoteles: *Eth. Eud.* III *2 p. 1231 a 15* — 46. Haec habui etc.: *Cic. Tusc.* V *101* — Ede etc.: *Strab. 672 C* — 50. Quid enim etc.: *Iuvenal. 6, 300 sq.* — 51. in sacris litteris: *Genes. 9, 21 et 19, 31 sq.* — 53. dictum: *Valer. Max.* VI *2 ext. 1* — 56. Flaccus: *Hor. Epist.* II *3, 166 sq.* — 69. illud: *Diog. Laert.* I *104* — 71. Plato: *Legg.* IV *p. 705A* — 72. C. Caesar: *Bell. Gall.* I *1, 3* — 73. ille: *Pers. 6, 39* — 74. Livius: XXIII *18, 12* — 76. unus ex poetis: *Iuvenal 3, 68 sq.* — 77. Cato: *De agri cult. praef. 4* — 88. Maro: *Verg. Georg.* II *458* — 95. Iuvenalis: *1, 73 sq.* — 98. tradunt: *Plut. Demosth. 26* — 99. poeta maximus: *Verg. Georg.* III *66 sqq.* — 101. satirus: *Iuvenal. 10, 199 sqq* — 110. apud Homerum: *Il.* I *249* — 112. apud Maronem: *Verg. Aen.* XI *152 sqq.* — apud Homerum: *Il.* XXIV *493 sqq.* — 116. apud Herodotum: I *30 sqq., 86* — 117. Valerio: *Valer. Max.* II *6, 8* — 119. apud Hieronymum: *Epist. 127, 2* — 123. vanitas etc.: *Eccles. 1, 14* — 127. tradunt: *Plin. Nat. hist.* XXXVI *78* — Plinius: *ibid.* XXXVI *79* — Iosephus: *Antiqu. Iud.* II *203* — 128. perhibent: *Plin. Nat. hist.* XXXVI *95* — 132. aiunt: *Plin. ibid.* XXXVI *66* — 143. plus aloes etc.: *Iuvenal. 6, 181* — 159. Fraterno etc.: *Lucan.* I *95* — 160. Papinius: *Stat. Theb.* I *1 sq.* — 175. ait: *Macrob. Comm. in Somn. Scip.* I *10, 16* — 176. inquit: *Valer. Max.* VII *2 ext. 5* — 178. Augustinus: *Confess.* VI *6. 11. 12* — 179. casta est etc.: *Ovid. Amor.* I *8, 43* — 180. Intolerabilius etc.: *Iuvenal. 6, 460* — 181. Lis est etc.: *Ovid. Heroid. 15 (16), 288* — 183. Hieronymus: *Adv. Iovinian.* I *47 (p. 313C Migne, p. 388 Bickel)* — 184. in Meroe: *Iuvenal. 13, 163* — 195. Platonem: *in Euthydemo pass.* — Dion: *Orat.* IV *35 (p. 62, 12 Arnim)* — 196. Origenes: *In Exodum hom.* IV *6* — 204. Persius: *Choliamb. 4* — apud Ciceronem: *De nat. deor.* II *67* — 205. Celsus: *Medic.* I *2, 1* — 207 Aristoteles: *Procop. Bell. Goth.* IV *6, 20* — 209. Plutarchus: *De vita et poesi Hom.* I *4* — 213. Paulus: *Rom. 12, 3* — 217. Galienus: *Galen. De plac. Hipp et Plat.* V *433* — 220. Iosephus: *Antiqu. Iud.* XVII *169* — 227 in historia Longobardorum: *Blondus Flav. Hist. dec.* I *lib.* VIII — 232. Salomon: *Proverb. 17, 22* — 234. Livius: XXII *7, 13* — 235. Plinius *Nat. hist.* VII *184* — Valerius: IX *12, 8* — 240. sacrae litterae: II (IV) *Reg. 6, 25* — 244. Thucydidi: II *49 sqq.* — Lucretio: VI *1138 sqq.* — 249. Eusebius: *Hist. eccl.* VIII *12, 6 sq.* — 253. memoriae proditum est: *Plin. Nat. hist.* VII *92* — 257. scribit Varro: *Plin. Nat. hist.* VIII *104* — 265. iuxta Hesiodum: *Opera 289* — 269. Plato: *Legg.* IV *p. 712B.*

II. — DE AVARITIA. 9. Apud Terentium: *Andr. 74 sqq.* — 13. inquit: *Gell. Noct. Att.* I *8, 5* —18. satirus: *Iuvenal. 1, 56 sq.* — 26. Ciceronis orationes: *in Verr. pass.* 27. Cicero: *Pro Cluent. 32* — 28. Apud Maronem *Verg. Aen.* III *55 sq.* — 30. Annaeus: *Lucan.* IV *819 sq.* — 46. aiebat: *Scr. hist. Aug. Antonin. Pius 9, 10* — 49. Baptista . . cecinit: *Baptista Mantuanus, De suorum temporum calamitatibus, Bononiae 1489, lib.* III — 50. Flaccus: *Hor. Epist.* I *1, 53 sq.* — 52. inquit: *Diog. Laert.* VI *51* — 58. crediderim: *Hieronym. Epist. 22, 39, 4* — 59. Plato: *Legg.* V *743 C* — 60. Paulus: I *Tim. 6, 9* — Dominus: *Matth. 19, 24* — 64. Aristoteles: *Metaph.* I *1 p. 981 b 23* — 66. ille: *?* — 69. inquit: *Cic. Cato mai. 43* — 71. aiebat: *ibid. 41* — 73. ut dicitur: *Cic. Lael. 19, Colum.* XI *1, 32* — 77. Plautinus ille Euclio: *Aulul. 114 sq.* — 79. inquit: *Cic. Tusc.* V *97* — 81. inquit: *Plut. Apophth. 174 A* — 84. poeta maximus: *Verg. Georg.* II *467 sqq.* — 86. aiebat: *Cic. Tuc.* V *92* — 87. apud Xenophontem: *Hiero 1 sq.* — 88. Firmiani verbis: *Lactant. De ira dei 23* — Iuvenalis: *13, 193 sqq.* — 95. Diodorus: III

*7, 1 sq.* — 97. apud Herodotum: IV *64* — 98. Legimus: *Hieronym. Adv. Iovinian.* II *7 (p. 335BC Migne, p. 403 Bickel)* — 99. memoriae proditum est: *Iustin.* XVIII *5, 3* — 101. Thucydides: I *5, 1* — 103. Cicero: *Tusc.* III *3* — 106. illud Flacci: *Hor. Serm.* I *1, 66 sq.* — 109. inquit: *Hieronym. De virg. Mariae 12 C* — 110. Lactantius: *Inst.* III *18* — 115. putant: *Plut. Caes. 55* — 116. Hieronymus: *Chron. ad a. 2333 (p. 230, 12 Helm)* — 124. Cicero: *De off.* I *68* — 129. Dominus: *Matth. 5, 3* — Salomon: *Proverb. 30, 8* — 130. illud Menandri: *fg. 83 Kock (Stob. Floril. 93, 21)* — Petrus apostolus: *Actus apost. 8, 19 sq.*

III. — DE FELICITATE. 13. Seneca: *De brev. vitae 2, 4* — 19. ut ipse ait: *Apul. Apol. 18* — 21. meliore luto etc.: *Iuvenal. 14, 34 sq.* — 25. Persius: *Choliamb. 10 sq.*

IV. — DE PHILOSOPHORUM NUGIS. 7. Lucretius: II *651 (Lactant. De ira dei 8, 1)* — 12. sacrae litterae: *Paul. Rom. 8, 6 sqq.* — 13. Epicurus... inquit: *Diog. Laert.* X *6* — 15. Plato: *Res publ. 457 C, 451 E (Lactant. Inst.* III *21, 4)* — 16. Zenon . dicat: *Cic. pro Mur. 61* — 17. Thales: *Arist. De anima 405 a 19* — Anaxagoras . . ait: *Diog. Laert.* II *12* — 19. Democritus: *Plin. Nat. hist.* X *137* — 20. Xenophanes: *Lactant. Inst.* III *23, 12* — 21. Cicero: *De divin.* II *119.*

ORATIO AD ARGENTINENSES. 12. Platonem: *Lactant. Inst.* III *19, 17* 14. unus ex poetis: *Ovid. Met.* XIII *140 sq.* — 16. nullam capitaliorem etc.: *Cic. Cato mai. 39* — 34. proverbium: *Quintil. Inst. Or.* I *1, 19* — 74. Eleo Hippiae etc.: *Quintil. Inst. Or.* XII *11, 21 sqq.* — 88. ita se litteris etc.: *Cic. pro Arch. 12* — 92. ob virtutem etc. *Cic. Lael. 28.*

## SCRIPTURA.

Quam scripturam Bohuslaus adhibuerit, e paucis verbis in *R* (cf. Introd.) manu eius exaratis cognosci potest, unde eum Italorum* vestigia prementem partim novam secutum esse *(aetas, aequus, patriae meae, quae, haec, solemnis, cognitus)*, partim medii aevi retinuisse *(bononie, hec, ethereus, ymola, stigius, porcio)* comperimus. In codice *U* et in editionibus *s* et *p* scriptura maxima ex parte mediaevalis occurrit *(hereo, Cresus, pyrata, Cyneas, amicle, Tucidides, peccunia, affrica, allexander, avaricia, ambicio, betha, cathena, Chorintius, teatrum, Tessalia, exanguis, quom, contempno,* alia), attamen non semper sibi constat *(tolerandum—intollerabilis, fas—phas, exalasse—exhauriebat,* alia). Th. Mitis nostrae scripturae propior erat, sed ne is quidem eandem semper servavit *(sidus—sydus, fas—phas, carus—charus, viator—uiator,* alia). Utilitati et aequabilitati cedentes scripturam in scriptorum antiquorum operibus edendis adhibitam maximam partem restituimus, sed nonnulla saeculo XV. ubique occurentia *(baccalaurius, faenisicium, benivolentia, valitudo, emolimentum, unquam, ciniphes, Galienus, Sylla, Xerses,* alia) mutanda esse non censuimus.

---

* Cf. *R. Sabbadini*, Il metodo degli umanisti, Firenze, 1922, p. 4 et sq.

# ANNOTATIONES CRITICAE.

In variis lectionibus afferendis fere omnes, quae ad scripturam attinent, neglEximus; librariorum et typothetarum menda manifestissima omisimus.

*cf.* (confer), *in err*(atis), *om*(isit, -erunt), *omn*(es), *s*(ive)

I. — DE MISERIA HUMANA — Epistula dedicatoria. - *Umt* - *Tit.* De miseria humana. Epistula dedicatoria] *om. omn.* - 1. Bohuslaus a Lobkowitz et in Hassensteyn *m*, *om. t* - Mellerstat *mt* - quia *mt* - 3. Id multis indiciis perspexi tum antea *mt* - quam nuper *t* - 4. etiam *om. mt*

De miseria humana - *Umha* - *Tit. om. U*, D. Bohuslai Hassensteynii a Lobkouitz etc. opusculum de Miseria humana e deprau(v)atissimo codice exceptum (exceptum] descriptum *h*) *mha* - 2. originem nostri *mha* - 4. Excipiunt eum *mha* - 5. se animalium—existimat] animal—existimatur *mha* - 6. nec *mha* - ingredi] ingerendi *mha* - sumendi *mha* - illius] ipsius *mha* - 7. eis] his *U* - 10. suum] eius *mha* - sunt *ma* - nimis reprehenduntur *mha* - 11. esset] est *mha* - qui] quia *m* - 13. potestatique] et potestati *mha* 14. ceterisque] et ceteris *mha* - nec—nec *mha* - 16. iniuriaque] iniuriave *mh*, iniuriare *a* - 20. parum *mha* - arrisit *U* - 21. ostendit *mha* - 22. rursum *U* - in tantum] interim *mha* - 26. miseros *mha* - 27. dissiparunt *mha* - 28. effluxerunt *mha* - 31. etiam] esse *in err. h* - 33. Creta Chioque] Cretachioque (Creta Chioque *in err.*) *m*, Cretaque *a* - peregrinis *mha* - 35. ait Hieronymus *mha* - 36. sit *om. U* quid censemus] multo minus *mha* - cupedinoris que *U* - unquam futurum] sperarim unquam fructum *mha* - vina *mha* - 37. virginibusque] et virginibus *mha* - 41. Chares] Marius *mha* - 45. collum] guttur *U* - 46. multa] muta *U* - 47. expetenda *U* - 48. extabescunt *U* - 52. mero] vino *mha* regiam] reginam *mha* - intendi *mha* - Clitum quoque] Clitumque *mha* - 53. est *om. mha* - 54. hic *om. mha* - 56. Nec *mha* - 58. dio *mha* - 60. eas *om. mha* - spes] opes *mha* - 61. fasque *om. mha* - tentas *mha* - prorsus ridebere] insanire prorsus videbere *U* - 63. percutiuntur securi *U* - Pannonio *U* - 65. sunt alii *U* - agunt id—fraudibusque *mha* - 66. peierant *mha* - 67. oras] terras *mha* - plerique *mha* - 68. versum *U* - submersa] periisse *U* - 69. Anachoris *U* - vivant *m*, vivant (viverentne *in err.*) *h*, vivantne *a* - 70. ipsi solum *mha* - 71. quoniam] quia *mha* - gignunt] gignunt homines (homines *expunxit* $U^2$) *Um* - et] et qui *mha* - 72. quod (Caes. Bell. Gall. I 1, 3)] quia *U* - atque ea quae (Caes. ibid.)] et quae *U* - 73. hoc] id *mha* - 74. ab externis *mha* - quod] quae *mha* - annibalis *U*, animalibus *mha* - exercitu] exercitatis *mha* - nos magis *mha* - 75. est *om. mha* - 76. rechedipna *(corrupta lectio codd. Iuvenal. 3,* 68*)] recidipna *m* - ceromatico] tereomatico *m*, cereomatico *h*, cerematico *a* - 77. cur] cum *ma* - 79. propagantur] purigantur *mha* - dum] cum *mha* - 80. enim *om. mha* - 83. ex] e *mha* - eo *om. mha* - maximi est] maxime necessaria *U* - 84. ex terra] extra *mha* 85. herbescente *mha* - stipulam refastigiata *mha* - 86. plerumque *mha* - subitum gelu adurit] subito gelu arent *mha* - 87. maleficarum mulierum *U* - 88. ego tamen *om. mha* - 91. hunc] hic nunc *m*, hunc nunc *a* - gravitate *om. mha* - comparari *mha* - 92. sint *mha* - alioqui *mha* - iustissima etiam *mha* - 94. ambicioni *m* - 95. Notat *U* - 96. tibi fato] fato aliquo *mha* - 98. neminem] non *mha* - 99. iuventute *mha* - parum *mha* - lubet *mha* - incommoda] commoda *m* - 100. fere *om. mha* - compaginesque *mha* - 101. Satyrus *U*, satyricus *mha* - 103. servorum auxilio *mha* - Antigenidae] Artigenidae *ma* - 107. omnia] aut *mha* - 108. obiciunt] coniiciunt *U* - 112. illud] id *mha* - 114. virtutem numerumque *mha* - 116. agnovit] cognovit *mha* - 117. Cea] a *mha* - celebratur] commendatur *mha* - exemplo] eo uno *mha* - imitanda *mha* - 118.

---

* *Cf. Petrum Crinitum (*Angeli Polititani et aliorum virorum illustrium epistolarum lib. XII., Basileae 1522., p. 490.) *Alexandro Sartio scribentem:* In hoc autem loco *(sc. Iuvenalis)* Recydina vulgo legitur, sed Plutarchus in Symposiacis de Trechedipna veste meminit.

agantur *mha* - 119. mori poſse *mha* - 120. laudantur *mha* - 121. nobis eam *mha* - adimant] adiiciant *ma,* abiiciant *h* - 124. primum si placet *mha* - quam —calamitosamque] quantum calamitosam *mha* - 125. lignorum *U,* tignorumque *h* - 126. Galliae *om. mha* - 127. nec *mha* - 132. a viginti milibus hominum factum (*conf. Plin. Nat. hist. XXXVI 66*)] 150 pedes altum et 24 latum factum *mha* - 134. excindendis *ma* - surgendis *ma* - 139. et quicquid *mha* - profusae *mha* - 141. veritatem *mha* - 142. existimat beatos *mha* - purpura cubare et culcitra *mha* - 143. Diomedes *(cf. Ps. Acron. Schol. Hor. Carm. III. 1, 17 cod. Γ)*] Democles *ma,* Damocles *h* - regium hunc *mha* - 144. tandem] tamen *ma* - 145. impositis] insolitis *U* - 146. tantum] tam *mha,* tanta *in err. h* - omnis *om. mha* - administretur res publica *mha* - 147. eum] regem *mha* - 148. Si autem tractant arma *mha* - 149. parvum] parum *ma* - 151. hominum genere *mha* - 152. regem *om. U* - 156. Smidrigallum *U,* Sinbrigallum *mha* (Svidrigallum *Ryba*) - ursa *cf. Aeneae Silvii Hist. rer. ubique gestarum c. XXVI.*] Ursa *omn.* - 158. Wladislaum qui *mha* 163. Pasaitem] Baiazetem *mha* - Zyzimum] gnismunnum *U* - Turcarum *cf. 173. et 322*] Turcorum *omn.* - Zyzimus] gnismunnus *U* - 164. Tuneti *mha* - patruelisque *mha* - 166. et gladio, ut pater] aut gladio aut per hostes *mha* - 169. gelria *U* - 170. omnes—171. regum *om. ma,* omnibus nota sunt. Adde id, quod de *h* - 172. Ioachimo *mha* - 173. Pasaites] Baiazetes *mha* - Turcorum *mha* Tamberlano *s.* Tanberlano *mha* - 175. contigit *m* - ut ait—putabat *om. U* - quemquam] quisquis *ma,* si quis *h* - adspiraret *mha* - 178. omnium *ma* - e *mha* - 179. inquit *mha* - pudicam—180. Ducam *om. mha* - 181. Ducam inquit *mha* - pudicitiae] pudicitiae. Pulchro enim omnes inhiant, pulchrum omnes quaerunt, amant, desiderant, unde κάλλος, quod omnes ad sese vocet *a* - 183. aureolum] Aurelium *U,* aureum *mha* (aureolum *Ryba*) - conquiri] comparari *mha* - addit insuper *mha* - 184. Huic—natam] Nam *mha* cancer] carcer *m* - 185. Nec *mha* - cum] quom *U,* quae *mha* - 186. sint *mh* - procedat *mha* - acceptiorque] aptiorque *mha* - 191. etiam *om. mha* - 192. quam—miseriis *om. a* - subiecti sunt *mh* - 193. donavit *ma,* donarit *h* - forcepsne—fuerit *(cf. Sen. Ep. 90, 13) om. mha* - 198. lineos *m* - id] illud *ma* - 199. est cura *mha* quem] quaerere quod *mha* - 201. absides] apices *mha* - 202. iurisconsultorumque *mha* - 204. hoc est *mha* - 207. aliis *om. U* - alioquin] aliquando *ma* - 208. se—potest *om. mha* - Eurippus ait *mha* - 209. Homerus *U* - 212. innumerosque] multosque *mha* - 214. videntur scioli *mha* - 215. Aquatem *U* - inter quos, quo] et quod *Uma,* et quo *h* (inter quos, quo *Ryba)* - ad quae] se *mha* - astringuntur convenit] astringitur convenit *U,* astringi non negant *mha* - 216. addo] adeoque *mha* - inter cutem] inter cutem fusam *U,* intercutem *mha* - 217. Galenus *mha* - 219. Scylla *U* - 221. Gugtsteynius *mha* - expiravit *U,* obiit *mha* - Sigana *U,* Susanna *mha* (Siguna *Ryba*) - nulla maritalis] nec mortalis *mha* - 222. alii] *om. mha* - 223. At] *om. U* - 225. minus] minime *mha* - uxore] ab uxore *mha* - 226. potione] veneno *mha* 227. Hemelchiclis] Helmige *mha* - auxilio *om. mha* - Albonium *Umh* - 231. in qua morabatur] immorabatur qua *mha* - 235. Q. Heterium *(cf. codd. Plin. Nat. hist. VII 180)*] Aetherium *mha* - 236. ruinaque] casu ruinarum *mha* - 2 8. in *om. U* - 240. Id—continent *om. mha* - 241. Tunetam *m,* Tunetum *ha* - convexisse *m* - una *(cf. 3.)*] uno *mha* - 242. macie confectum *om. mha* - grana] varia genera *mha* - 244. autem *om. mha* - 245. paucos—annos *mha* - ea *om. mha* - 246. thaurum *U,* Tauri *mha* - atque—eiusmodi *om. mha* - 247. ita *om. mha* - enim *om. mha* - laxato *U* - Mettium Fufetium *cf. Gell. Noct. Att. XX 1, 54*] metium suffetium *U,* Mec(t)ium Suffec(t)ium *mha* - 249. qui] quia *mha* - candentis *mha* - 250. Palum] Paululum *mha* - adigi] aduri *mha* - 251. et in *mha* - bestiis *om. mha* - 252. imperium *om. mha* - Atheniensium caedes *mha* - Gottos *Umh* - dedantur *m* - 255 arenis *(cf. Herodot. III 26)*] armis *mha* - 258. murum *U* - esse *om. U* - 259. I *om. U* - es] es manifestae *(e 262.) mha* - 260 haec] hoc *mha* - fortassis *mha* - celebrant *mha* - 262. Manifestum *om. mha* - corporis fortunaeque] corporisque *mha* - 264. rerum humanarum *om. mha* - 265. circa eam *mh,* circa eum *a* - 266. is demum] idem *mha* - 267. nisi] si *mha* - fuerimus] non sumus *mha* - 268. contagione] cogitatione *mha* - 269. sententias imprudens *mha* - 270. Haec *mha* - immortalesque] nos qua est misericordia *mha* - *post* 270. Opus-

culum de miseria humana editum a Bohuslao de Lobkowicz et Hasystein feliciter explicitum est *U*, Amen *mha*

II. — DE AVARITIA - *pm* - Bohuslai Boemi Baronis de Hassenstayn Libellus de Avaricia *p*, Eiusdem D. Bohuslai ad Joannem Sturnum libellus de Avaritia *m* - 3. debere nos *m* - 13. persolvisset *m* - 14. quando iam] quoniam *m* - 16. scire] nescire *m* - 18. Satyrus *p*, Satyricus *m* - 19. hoc *p* - 25. homo *om. m* - 29. Septimuleius *cf. Valer Max. IX, 4, 3*] Septimius *pm* - Opimius *cf. ibidem*] optimus *pm* - 32. Eriphila *p*, Eriphyle *m* - 35. Hlucens *p* - 46. minimeque *m* - 58. quam] qua *m* - 61. Quin *m* - virtute *p* - 64. item *om. m* - 66. revelli *p* - 67. dedit *m* - 76. latronum *m* - 77. aule *p*, ollae *m* - 81. iam] tam *p* - 83. quanta *m* - 86. foret *p* - capere *p* - 88. Firmani *p* - 90. affirmarim *m* - 101. latrocinea *p* - 103. et *om. p* - 106. Quod] Quia *m* - 108. ii] hii *p*, hi *m* - 116. quo—fuit *om. m* - 121 Atqui *m* - 124. si habeas] sin habeas *m* - 128. Et *om. m* - 130. ei] et *m* insipientes *p* -. Vale *om. m*

III. — DE FELICITATE - *m* - Eiusdem fragmentum de Felicitate - 9. Herillus] Chaerilus - pere- ! peregrinatos - 25. Democratem (*sic*) - . .] Caetera desiderantur.

IV. — DE PHILOSOPHORUM NUGIS - *Unt* - *Titulum om. U*, Cuidam s. d. *nt* - 1. is] hi *nt* - putabantur *nt* - contulissent *nt* 3. enim] nempe *t* - delirat] dixerat *nt* - summa] firma *nt* - 7. promeritis *cf. Lucr. II 651*] pro meritis *omn.* - 12. hominum *nt* - 13 quod] quid *nt* - quae] qui *n* - oculum *n* - 16. Zeno *nt* - 21. absurdi *nt* - *post* 21. Vale *nt*

ORATIO AD ARGENTINENSES *sm* - Bohuslai Bohemi Oracio ad Argentinenses in genere demonstratiuo pro Petro Schotto Argentinensi *s*, Eiusdem oratio pro Petro Schotto Argentinensi *m* - 5. quo] quod *m* - 13. atque *om. m* - 24. Parisium *m* - 42. Parisiis *m* - 47. re *om. m* - 53. permanet *s* - 59. Latinorum *m* - 71. adeo detritus *s* - possit *m* - 72. hoc loco praeterire *m* - 74. Helio hippio *s* - annulum *m*, annum *s* - 81. sua] Petri *m* - 85 optime *s* - *post* 92. Dixi *m*

MEMORIA ALEXANDRI DE IMOLA - *R* - Titulum *om.* - 1 Millesimoquadringentesimoseptuagesimoseptimo - septembris - innocte - Mortuus - Alexander - tartaginis - ymola - scolarium - bononiensis - dominici - inpace - 2. Aetatis - docendo que - ferarie, patauii - precipue bononie - 12. celesti - 13. premia - 14. Hoc que - porcio - 15. tartagini - 18. composuit que - 19. alexander - 20. perhenne - 22. alexander - 23 Tartagine - charus - 25. Nunc que 29. bibliotecha - 31. alexander precioso - 33. quiritum - 35. Hec - stigiis - 36. mors - 37. Corporeos que - 38. ethereo - 39. Scripta que - 40. premia

# INDEX NOMINUM

Compendia: A = De avaritia, F = De felicitate, Im = Memoria Alexandri de Imola, M = De miseria humana, O = Oratio Argentinenses, P De philosophorum nugis.


Absolon M 167
Academici Ph 20
Acestes M 193
Achilles M 193
Aegaeum mare M 68
Aegyptii M 161 196, A 64
Aegyptus M 68 127 132 170 245 A 82
Aeneas (Silvius) M 39
Aeneas (Troianus) M 193
Aeschylus M 231
Aesculapius M 244
Aesopus A 11
Aethiopes A 95
Aethiopia M 255
Africa M 164 241 244
Agathocles A 23
Agrippa v. Menenius
Agrippina M 226
Alani M 252
Albertus (Magnus) M 215
Albertus (VI.) in Austria M 162
Albertus (IV.) in Bavaria M 162 177
Alboinus M 227
Alcman M 219
Alexander Magnus M 41 52 136 152 247, F 17
Alexander Pheraeus M 225
Alexander de Tartaginis de Imola Im 1 19 21 31
Amphiaraus A 32
Amphion M 104
Amyclae M 256
Anacharsis M 69
Anaxagoras F 10 P 17
Andria A 9
Angli M 174
Annaeus v. Lucanus, Seneca
Antigenides M 104
Antipater F 17
Antisthenes A 114
Antonius triumvir M 43
Apelles F 25
Apollinaris M 212
Apollo O 68
Apuleius (Platonicus) F 19
Aquinas v. Thomas (Sanctus)
Archytas Tarentinus A 70
Argentinenses, viri O 1 5 40 51 72 90 91
Aristides Iustus M 91 A 121
Aristippus Cyrenaicus M 47 P 12
Aristoteles M 45 207 208 A 64 P 2 O 76
Aristoxenus M 199
Armenia M 237
Artaxerses (Artaxerxes) A 81
Asia M 128 129 173 244
Asisias v. Franciscus (Sanctus)
Assyrii M 46 252
Athenae M 133 A 121
Athenienses M 244 252
Atheniensis (Plato) O 12
Athos M 136
Atticus v. Zenon
Augustinus (Sanctus) M 178 222
Austria M 63 162

Babylon M 133
Bactriani M 3
Baptista (Spagnuoli, Mantuanus) A 49
Barba rubra v. Fridericus Caesar
Bavaria M 162 168
Bavarus, Albertus M 177
Belgae M 72 A 46
Bessus M 247
Boemia M 177
Bohuslaus v Lobkowicz
Bononia O 48
Bononiensis populus Im 1
Brandemburgensis, Fridericus M 177
Bruti (homines sicut L. Iunius Brutus) M 229

Caesar, C. Iulius M 72 253 256 A 30 110
Cambyses M 255
Carmelitana religio A 49
Carolus Belgarum dux A 46
Carthaginienses M 252
Carthago M 133
Cato Censorius M 77 O 77
Cato Uticensis M 42 256 A 110
Cea mulier M 117
Celsus M 205
Censorius, Cato (v. Cato) O 77
Chares M 41
Chius M 33 68
Christiana religio M 211 — theologia F 24
Christianae naves M 241
Christiane M 17
Christiani M 117 163 A 116 125

Christianus homo M 215 P 3
Christophorus in Bavaria M 162
Cicero, M. Tullius M 204 A 26 27 103 124 P 21 O 78
Cicero, Q. M 44
Cimbri M 252
Cineas A 68
Claudius Caesar M 189 226
Clitus M 52
Constantinus M 229
Corinthii A 13
Cornelius Gallus M 235
Cornelius Rufus M 224
Crassus A 85
Crates Thebanus A 114 F 16
Creta M 33
Creticus M 39
Crispus (Constantini filius) M 229
Croesus M 116 A 112
Curio A 30
Curius M 91 A 112
Cynicus, Diogenes A 86 F 18
Cypriae virgines A 99
Cyprii M 161
Cyprus M 33
Cyrenaicus, Aristippus M 47 P 12
Cyrus M 116

Damocles v. Diomedes
Danae A 8
Darius M 152 247 A 79
David rex M 167
Delphicum oraculum A 51
Democrates F 25
Democritus F 14 P 2 19
Demosthenes M 98 A 13
Deus M 269 P 3 7 O 82
Diagoras P 4
Diana M 128 A 109
Dicaearchus P 8
Diodorus (Cronus) M 210
Diodorus (Siculus) A 95
Diogenes Cynicus A 86 F 18
Diomedes (Damocles) M 143
Dion (Chrysostomus) M 195
Dionysius Siciliae tyrannus M 143 233
Dominicus, Sanctus Im 1
Dominus (Iesus Christus) A 60 129

Eleus v. Hippias
Ephesia Diana A 109
Ephesus M 128
Epicurei A 72
Epicurus A 83 P 4 13
Epidaurus M 244
Epirotae A 69
Erillus v Herillus
Eriphyla A 32
Estensis, Hercules M 165
Estensis, Nicolaus M 165

Euander M 112
Euclio Plautinus A 77
Euripus M 208
Europa M 244
Eusebius Caesariensis M 212 249

Fabricius (C. Luscinus) M 91 A 68 69 112
Ferraria M 165 Im 2
Firmianus v. Lactantius
Flaccus v. Horatius
Flora A 12
Franciscus Asisias (Sanctus) A 113
Fridericus (III.) imperator M dedic. 2
Fridericus (V.) in Austria M 162
Fridericus Brandemburgensis M 177
Fridericus Caesar cognomento Barba rubra M 237
Fufetius, Mettius M 248

Galeatius v. Sforza
Galienus (Galenus) M 217
Galli M 72 A 30
Gallia M 126 252
Gallus v. Cornelius
Gela M 231
Geldria M 169
Genuenses M 126 252
Gorgias O 75
Goricia M 38
Gothi M 252
Gracchus, C. A 29
Graeca historia A 121
Graecae litterae O 59 77
Graeci A 59 101
Graecia M 129
Graius sanguis A 25
Gutsteinus Burianus (magister camerae regni Boemiae) M 221
Gyara M 95

Hannibal M 74 252
Hassystein M dedic. 1
Hebraei A 53
Heli sacerdos M 223
Heliogabalus A 19
Hemelchicles M 227
Henricus (VII.) princeps Romanus M 153
Hercule, me O 5
Hercules v. Estensis
Herillus (Erillus) F 9
Herodes M 220
Herodotus M 116 A 97
Hesiodus M 265
Heter(e)ius, Q. M 235
Hieron A 87
Hieronymus M 35 119 183 A 116
Hierosolyma M 240
Hippias Eleus O 74

Hispania M 236 252 257
Hluceus (Hlucky) Ioannes A 35
Homerus M 110 112 209
Horatius (Flaccus) M 56 A 50 106
Hunni M 252

Imola, Alexander de Im 1
Indi A 96 98
Ioachim rex in Iudaea M 172
Ioannes Hispaniae ulterioris rex M 236
Ioannes v. Hluceus, Lobkowicz, Muller, Scotus, Sforza
Iosephus (Flavius) M 127 220
Israheliticus populus M 127
Itali M 40
Italia M 126 252 256 O 86
Italica cena M 36
Iuba A 115 F 23
Iudaea M 172
Iudas A 47
Iugurtha A 31
Iuppiter A 8
Iustus v. Aristides
Iuvenalis (satirus) M 95 101 A 18 88

Lacedaemonii M 252
Lactantius (Firmianus) A 88 110 116
Lais A 13
Latina lingua A 117
Latinae litterae O 59
Leucippus P 2
Libya M 256
Litvani M 156
Livius M 74 234
Lobkowicz, Bohuslaus de M dedic. 1
Lobkowicz, Ioannes de M dedic. 3
Longobardi M 227
Loth M 51
Lucanus (Annaeus) A 30
Lucretius M 244
Ludovicus in Bavaria M 168
Lysippus F 25

Macedo, Philippus M 152
Macedones M 41 252
Marcus v. Cicero
Maro v. Vergilius
Marsyas M 104
Martinus v. Melerstat
Massagetae A 98
Mathias Pannoniae rex M 63 A 35
Maximilianus rex (II.) M 158
Medi M 252
Mediolanensis quidam (Novellius Torquatus) M 44
Mediolanum M 157 166
Melerstat, Martinus M dedic. 1
Memphis M 127 245
Menander A 130
Menenius Agrippa A 122
Meroe M 184
Messalina M 189
Mettius v. Fufetius
Milesia mulier A 27
Minerva M 204 A 73
Moravus, Swatoplucus M 177
Mors Im 36
Muller, Ioannes de Rasteten (ecclesiae Tanbachensis vicarius) O 19
Musae M 204

Nero A 19
Nestor M 110
Nicolaus v. Estensis
Nilus M 127
Noe M 51
Novellius Torquatus v. Mediolanensis quidam

Oceanus P 18
Opimius A 29
Origenes M 196 212
Orpheus M 104

Pannonia M 63
Pannonii proceres M 155
Pannonius, Mathias A 35
Papinius (Statius) M 160
Parisium O 42, Parisius (indecl.) O 24
Parthi A 48
Parthus, Tamerlanus M 173
Pasaites (Baiazid) Turcarum rex (I.) M 173, (II) M 163
Patavium Im 2
Paulus (apostolus) M 32 213 A 59
Pausanias (Philippi satelles) M 152
Peripatetici A 72 F 4 P 2
Persae M 52 116 136 152 252 A 86
Persis M 170
Persius M 204 F 25
Petrus apostolus A 130
Petrus (rex Cypri) M 161
Petrus v. Schottus
Phalaris M 246
Pheraeus v. Alexander
Pherecydes M 219
Philippus Macedo M 53 152
Philoxenus M 45
Pirene M 204
Plato M 36 71 195 269 A 59 F 10 15 P 10 15 O 12 76
Platonicus, Apuleius F 19
Plautinus, Euclio A 77
Plautus M 9 A 117
Plinius (Maior) M 2 127 235
Plutarchus M 209
Polonia M 177
Polycletus F 25
Polydorus A 28
Polymnestor A 28

Pompeia lex M 246
Posidonius P 18
Priamus M 112 114
Ptolemaeus A 82
Publicola v. Valerius
Pucinum vinum M 39
Pyrrhus A 68 69 123
Pythagoras M 18 P 10

Quirinus M 76
Quirites Im 33

Rasteten (Rastadt Badae) v. Muller
Rhodope A 11
Roma M 126 159 A 123
Romana civitas A 122, res publica A 30
Romani M 42 76 234 244 248 252 A 12
Romanus, Henricus VII. princeps A 12, populus M 153
Rosimunda M 227
Rubrum mare M 137
Rufus v. Cornelius

Salomon M 91 232 A 58 129
Samaria M 240
Saraceni M 64 237 252
Sardanapallus M 46 A 113
Schottus, Petrus O tit. 6 8 13
Scipio A 46
Scotus, Ioannes M 215
Scythia A 97
Sedechias rex in Iudaea M 172
Seneca (Annaeus) F 13
September Im 1
Septimuleius, L. A 29
Sforza, Ioannes Galeatius M 166
Sforza, Maria Galeatius M 157
Sicilia M 143 231 A 23 26
Sicula aula M 175
Sigismundus (rex Hungariae) M 165
Siguna (de Ortenburg, Gutsteini coniunx) M 221
Simon magus A 130
Simonides A 87
Socrates M 195
Solon M 116
Sophocles M 233
Spagnuoli v. Baptista
Statius v. Papinius
Stoici A 72 110
Sturnus, Ioannes A 1
Stygiae tenebrae Im 35
Svidrigallus M 156
Swatoplucus Moravus M 177
Sylla (Sulla) M 219
Syracusana cena M 36
Syri M 161
Syria M 170

Tamerlanus, Parthus M 173
Tarentinus, Archytas A 70
Tartagina gens Im 23
Tartaginis, Alexander de, Im 1
Tartaginum nomen Im 15
Tempe A 84
Terentius A 9
Teutones M 252
Thales P 17
Thebani M 160 — proceres F 16
Thebanus (Crates) A 114, (Plato non Thebanus) O 12
Theodorus (Cyrenaeus) P 4
Theophrastus M 183
Thessalia M 257
Thomas Aquinas (Sanctus) M 215 F 24
Thraces M 260
Thracia A 28
Thucydides M 244 A 101
Tiberius A 19
Titan F 21
Titus M 240
Torquati (homines sicut T. Manlius Torquatus) M 229
Torquatus, Novellius v. Mediolanensis quidam
Trasumenus lacus M 234
Tullius v. Cicero
Tunes M 164 241
Turcae M 64 163 173 252
Tyrus insula M 136

Ulricus Goriciae comes M 38
Uticensis, Cato (v. Cato) A 110

Valerius (Maximus) M 117 235
Valerius Publicola A 122
Vandali M 252
Varro M 257 O 78
Venetum, aerarium A 25
Venus M 19 50 102 235 A 99
Vergilius (Maro) M 88 112 A 28
Verres, C. A 26
Vespasianus A 44

Wenceslaus (IV.) rex Boemiae M 155
Wladislaus (II.) rex Hungariae et Boemiae M 158 A 35

Xenocrates F 17
Xenophanes P 20
Xenophon A 87
Xerses (Xerxes) M 136

Zenon Atticus P 16
Zoroaster M 3
Zyzimus (Jem) M 163

MTA R2006

*Vide paginas 2. et 4. involucri!*

[SAECULUM XV.] *RM*

**Martius** Narniensis, Galeottus, Carmina, ed. L. *Juhász.* 1932. — 1.80
— De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium liber, ed. L. *Juhász.* 1934. — — 2.60
— De incognitis vulgo, edd. L. *Juhász*—T. *Kardos.* (Apparebit.)
— Epistolae, ed. L. *Juhász.* 1930. — — — — — — — — 1.—
— Invectivae in Franciscum Philelphum, ed. L. *Juhász.* 1932. — — 2.50
**Pannonius,** Ianus, Opera, edd. I. *Huszti*—L. *Juhász.* (Excuduntur.)
**Philelfus,** Franciscus, Sphortias, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász.* (Apparebit.)
**Rabenstein,** Iohannes de, Dialogus, ed. B. *Ryba.* (Apparebit.)
**Ransanus,** Petrus, Epitoma rerum Hungararum, ed. L. *Juhász.* (Excuditur.)
**Savonensis,** Guilhelmus, Dialogus, an mortui sint lugendi an non. ed. H. *Maschek.* (Apparebit.)
**Seneca,** Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum, ed. I. *Fógel.* 1932. 3.60
**Strozza,** Titus Vespasianus, v. Saecula XV—XVI.
**Valagussa,** Georgius, Epistolae, ed. L. *Juhász.* (Apparebunt.)
**Vitez** de Zredna, Iohannes, Epistolae — Orationes, ed. I. *Huszti.* (Apparebunt.)
**Zagabriensis,** Georgius, v. Barius, Nicolaus.
**Zovenzonius,** Raphael, Carmina, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász.* (Apparebunt.)

SAECULA XV—XVI.

**Andronicus** Tragurinus, Matthaeus, Epithalamium in nuptias Vladislai Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae reginae, ed. L. *Juhász.* 1933. — — — — — — — — 1.—
**Bohuslaus,** Hassensteinius, v. Hassensteinius baro a Lobkowicz, Bohuslaus.
**Bonfinis,** Antonius de, v. Saeculum XV.
**Canterus** Groningensis, Iacobus, Rosa Rosensis, ed. B. *Ryba.* (Apparebit.)
**Celtis** Protucius, Conradus, Libri epigrammatum quinque, ed. F. *Pindter.* (Apparebunt.)
— Libri odarum quattuor — Liber epodon — Carmen saeculare, ed. F. *Pindter.* 1937. — — — — — — — — — 7.20
— Ludus Dianae — Rhapsodia. Ludi scenici, edd. Io. *Rupprich*—F. *Pindter.* (Apparebunt.)
— Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus, ed. I. *Rupprich.* 1932. — 1.30
— Quattuor libri Amorum secundum quattuor latera Germaniae — Germania generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros Amorum pertinentia, ed. F. *Pindter.* 1934. — — — — — 6.60
**Fontius,** Bartholomaeus, Carmina, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász.* 1932. 2.—
— Epistolarum libri III, ed. L. *Juhász.* 1931. — — — — — 4.50
**Hassensteinius** baro a Lobkowicz, Bohuslaus, Carmina, ed. B. *Ryba.* (Apparebunt.)
— Epistolae, ed. A. *Potuček.* (Apparebunt.)
— Scripta moralia — Oratio ad Argentinenses — Memoria Alexandri de Imola, ed. B. *Ryba.* 1937. — — — — — — 2.50

*Vide paginas 2. et 4. involucri!*

*Vide paginas 2. et 3. involucri!*

[SAECULA XV—XVI.] *RM*

**Nagonius,** Iohannes Michael, Carmina, ed. B. *Ryba.* (Apparebunt.)

**Naldis** Florentinus, Naldus de, De laudibus bibliothecae libri IV ad Mathiam Corvinum Pannoniae regem, edd. L. *Juhász*—S. *Mocarski.* (Apparebunt.)

— Elegiarum libri III ad Laurentium Medicen, ed. L. *Juhász.* 1934. 5.60

**Piso,** Iacobus, Opera, ed. L. *Juhász.* (Apparebunt.)

**Strozza,** Titus Vespasianus, Borsias (Fragmenta) — Bucolicon liber, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász.* 1933. — — — — — — 1.40

**Verinus,** Ugolinus, Carlias, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász.* (Apparebit.)

— Epigrammatum libri VII, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász.* (Apparebunt.)

— Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracenae Baetidos gloriosa expugnatione, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász.* 1933. — — — — — — — — 2.20

**Warda,** Petrus de, Epistolae, ed. B. *Iványi.* (Apparebunt.)

SAECULUM XVI.

**Corvinus,** Elias, Ioannis Hunniadae res bellicae contra Turcas. Carmen epicum, ed. O. *Sárkány.* (Excuduntur.)

**Crosnensis** Ruthenus, Paulus, Opera, ed. A. *Kozocsa.* (Apparebunt.)

**Cybeleus,** Valentinus, Carmina — Declamatio de vini et aquae potoribus, utrum hi vel illi laudabiliores sint, ed. M. *Révész.* (Excuduntur.)

**Duditius,** Andreas, Epistolae, edd. P. *Costil*—L. *Juhász.* (Apparebunt.)

— Opera varia, edd. P. *Costil*—L. *Juhász.* (Apparebunt.)

**Illicinus,** Petrus, Carmina, ed. I. *Ribiczey.* (Apparebunt.)

**Macedonia,** Ladislaus de, Orationes II, ed. E. *Szimonidesz.* (Apparebunt.)

**Magius,** Sebastianus, Opera, ed. M. *Révész.* (Apparebunt.)

**Merenda,** Livius, Hercules — Seilas (Fragmenta). Ludi scenici, ed. H. *Tescari.* (Apparebunt.)

**Olahus,** Nicolaus, Atila — Hungaria, edd. C. *Eperjessy*—L. *Juhász.* (Apparebunt.)

— Carmina, edd. I. *Fógel*—L. *Juhász.* 1934. — — — — — 2.80

**Sambucus,** Ioannes, Epistolae, ed. I. *Gerstinger.* (Apparebunt.)

**Sirmiensis,** Georgius, Epistola de perdicione regni Hungarorum, edd. L. *Erdélyi*—L. *Juhász.* (Apparebunt.)

**Stretzinger,** Thomas, Oratio de divo Leopoldo III. Austriae marchione in universitate Vindobonensi habita, ed. H. *Maschek.* 1934. 1.—

**Taurinus,** Stephanus, Stauromachia, id est Servilis belli Pannonici libri V, ed. Z. *Császár.* (Excuduntur.)

**Thyrnavinus,** Martinus, Adhortatio belli contra Thurcos suscipiendi ad regni Hungariae proceres, ed. Z. *Császár.* (Apparebit.)

SAECULA XVI—XVII.

**Istvanffy,** Nicolaus, Carmina, ed. I. *Holub*—L. *Juhász.* 1935. — 3.60

PRETIUM HUIUS VOLUMINIS *RM* 2.50